


DE TARANTULÆ ANATOME, ET MORSU.



DE TARANTULÆ ANATOME, ET MORSU

Opuſculum Hiſtorico-Mechanicum inquo nonnullæ demonſtrantur Inſecti particulæ ab aliis non adhuc inventæ.

OPERA, ET STUDIO

D. NICOLAI CAPUTI

In inclytâ Lycii Civitate Medicinę Profeſſoris, & Academiæ Speculatorum Cenſoris

R. S. Academiæ Neap. Sodalis, ac pro eâdem in Provinciâ Hydruntinâ Metheorologici, & univerſalis naturalium Rerum inveſtigatoris.

Acceſſit ejuſdem Auctoris Diſſertatio de uſu Delphinii arvenſis in Febrium intermittentium recidivis.



LYCII, MDCCXLI.
Typis Dominici Viverito.
Superiorum permiſſu

EXCELLENTISSIMO VIRO

D. JOSEPHO CARIGNANO

E' Sanctæ Mariæ de Novis Ducibus, Tripudii Dominis, Decimæquartę Ætatis Carignani Feudi Baronibus Nobilissimo Tarenti Patritio.

Morum Probitate, Pietatis Ornamento, Scientiæ Solertiâ Clarissimo.

Opusculum hoc Historico-Mechanicum

DE TARANTULÆ ANATOME, ET MORSU

Sub Calamo Nicolao Cyrillo Præceptori Dedicatione statutum, supremo illius antè Libri hujus editionem die expleto, Variato ex sorte Consilio

NICOLAUS CAPUTUS AUCTOR

Academiæ R. S. Neap. Sodalis, Lyciensis Speculatorum Academiæ Censor Patrocinii Spe, sub Prælo D. D. D.

A. Dñi MDCCXLI.


L' AUTORE
ALL' ECCELLENTISS. SIGNOR
D. GIUSEPPE CARIGNANI
SONETTO.

QUella virtù, che tanto ormai prevale,
E in Te ſoggiorna, e ti fá gire onuſto
Di tanto onor, che 'l Secolo vetuſto
Correggi, e al noſtro dai vanto immortale,

Quella virtù, non la caduca, e frale
Gloria, (che pur ti fregia) e in breve, e anguſto
Tempo ſi chiude, rende altero, auguſto
Te prode Eroe, ſolo à Te ſteſſo uguale.

Quella farà, ſe Tu proteggi, e guidi
Queſte ſcipite, e mal vergate carte,
Correr ſicure or queſti, ed or que' Lidi.

Ne 'l Mondo ammirerà l' ingegno, e l' Arte,
Mà ſolo Te, poichè le coſe affidi,
Che in queſti Fogli ò diviſate, e ſparte.



Adm.

Adm. Rev. Ab. D. Paulus Muſcio, Canonicus Pœnitentiarius Cathedralis Eccleſiæ Lycien. revideat, & in ſcriptis referat. Datum Lycii ex Epiſcopali Curia die 24 menſis Maji 1741.

AB. C. A. GONGOLICCHIUS VIC. G.

REVERENDISSIME DOMINE,

Libellum, cui titulus: *Opuſculum de Tarantulæ Anatome, & Morſu*, à Clariſſimo Medicinæ Doctore Nicolao Caputi elaboratum, Dominatione tuâ Reverendiſſimâ ſic præcipiente, accuratè perlegi; & ne dum nihil devium à rectâ Fide, nihil à morum probitate recedens in eo reperi, verum mirabile ingenium ſcriptoris tam ſubtiliter ratiocinantis admiratus ſum; ideoque publicæ lucis Opus jure commendari poſſe cenſeo, ſi ita &c. Datum Lycii die 20. Junii 1741.

Humillimus, ac Addictiſſ. Servus
Paulus Can. Muſcio S. T. D., ac Pœnit.

Attentâ ſupraſcriptâ approbatione, Imprimatur. Datum Lycii ex Epiſcopali Curia hac die 11. menſis Julii 1741.

AB. C. A. GONGOLICCHIUS VIC. G.

ILLU-

ILLUSTRISSIME DOMINE,

UT tuis jussibus obtemperarem, legi Opusculum cui titulus: *De Tarantulæ Anatome, & Morsu* Doctoris Physici Nicolai Caputi; & in eo nihil, quod Regiæ Jurisdictioni obstaret, reperi; imò ad Naturalem Historiam illustrandam, atque experimentali philosophiâ periculis factis prò hujusce læthalis veneni medelâ, non parùm præclara inveni; Quapropter, ut typis mandetur, perutile censeo, si Tibi Illme Dñe, ità placuerit.

Aletii Pridie Kal. Julii 1741.

Domin. Tuæ Illustriss.

Addictiss., & Obseqaentiss. Famulus
Franciscus Zaccaria Jatrophysicus.

Die Sexto mensis Julii 1741. Litii &c.

PEr Sac. Regiam Hydr. Audientiam coram Illustriss. Dño Præside, & Dñis Judice M. C. Vic. D. Francisco Maria Gagliardi Capite Aulæ, ac D. Julio Cæsare de Andrea R. Auditore visâ suprascriptâ relatione Dñi Revisoris, fuit provisum, quod imprimatur; Verùm in publicatione servetur Regia Pragmatica, & ità &c.

IL DUCA DI CERISANO.

GAGLIARDI. DE ANDREA.

Malenconicus Secretarius.

PRÆFATIO.

PRobatiſſimæ fidei Viros, non minùs doctrinâ, quàm famâ celebratos, ſummo omnium conſenſu, tàm ſuperiori memoriâ, quàm noſtrâ ætate magni faciendos, Jus poſtulat, ratio ſuadet: In eorum autem verba jurare, authoritateſque nullo prævio examine ſuſcipere, inconſulti opus foret ingenii, perfidumque ſacramentum dicere metus immineret. Aſſidua namquè, quam examuſsìm perſpectam habemus, experientia cautiores nos reddidit: nihil enim tàm exornatum, ùt expoliri non poſſit, & nihil tàm abſolutum, ùt augeri non valeat. Tali præoccupationis, ùt verum fatear propoſito, ad varios de Tarantulæ veneno, & morſu Scriptores perlegendos animum adjunxi, illorumque obſervationes, & experimenta propriâ autopſiâ repetere ſeduliori examine propoſui: Hinc ex nonnullis obſervationibus proprio marte ſuper Tarantulæ fabricâ, ejuſque veneno à me peractis, hoc præſens Opuſculum non ad alienum comparavi præſcriptum: Ac propterea Tarantula, Lector benevole, ob peculiares venenati ſui morsûs effectus, in ſolâ Apuliâ admirabiliores, qui Muſicâ Inſtrumentorum in iſtâ curãtur Regione, hujus mei Opuſculi, ùt ità dicam, eſt Heros. Inſectum quidem

eſt è Phalangiorum, vel Aranearum progenie: immò, ſi verum fateri velimus, Phalangiũ, Aranea, Tarantula, & Italicum *Ragno*, unũ, idemque ſunt penes univerſos Apuliæ planæ, noſtræque Japygiæ Habitatores, qui generaliori vocabulo omnes Phalãgiorum ſpecies Tarantulas appellant, & quid Phalangium ſit, quid Aranea, quid *Ragno* penitùs neſcientes: præter tamen noſtræ Provinciæ græca Oppida, quæ generico *Phalangii* nomine omnia inſigniunt Phalangia. Verùm de Tarantulæ appulæ individuatione tot inter Eruditos ortæ ſunt controverſiæ, ut non adhùc apud illos conſtet de genuinâ Phalangii ſpecie, quæ pro illa haberi certo certiùs queat: hunc quidem errorem ex eo ortum duxiſſe puto, quod unicam tantùm Phalangii ſpeciem ex multis in Apuliâ cognitis, morſu celebres illos, & per totum ferè Orbem notos effectus producere poſſe, falsò crediderint: quùm præter pauciſſimas innocuas Phalangiorum ſpecies, talia morſu excitent ſymptomata, ut ſola Muſica inſtrumentorum, tripudiatione excitatâ, curationem abſolvat, eo ferè modo, ac in Tarantulæ Appulæ vulgò dictæ, morſu accidere obſervamus. Tarantulini igitur veneni effectus, ſymptomata, & ex tripudiatione per Muſicam excitata curatio, nonnullos movit Philoſophos ut inſectum hoc propiùs,

piùs , intimiùsque considerantes, partes omnes illum componentes , veneni emissaria, & naturam probabili conjecturâ contemplarentur. Quùm itaque, inter nonnullos Antiquorum , Recensiorumque scripturas non ineleganti, nec inexperto exaratas calamo, opusculum de Phalangio appulo Ludovici Vallettæ legissem , Solertissimi, me herclè, Viri, Tarantulis aculeum concedentis , quem ex ore in actu morsûs, fistulâ excavatum evaginare animadvertebat : & à Richardo Mead, forsan à Vallettæ observatione decepto quoque permissum , & quem ego iteratis, reiteratisq; observationibus invenire nunquàm potui; actum est, ùt ex innumeris , à me ad aculeũ detegendum , dissectis Phalangiorum speciebus , & præcipuè Phalangiis , quæ pro genuinâ vulgò habentur Tarantulâ , multas in illis observavissem particulas , ab aliis Authoribus vel non inventas , aut prorsùs neglectas , quibus maturè consideratis, omnibusq; particulis Tarantulam componentibus, & observatis , & descriptis, ad absolutam hujus Insecti Anatomen compingendam, comparãdamque decrevi . De quâ quùm Nicolaum Cyrillum Medicum Neapolitanum eximium Epistolâ conscium facerem, ad absolutum Tractatum perficiendum humanissimâ præcepit responsione : adeòque à meis delectari visus

eſt laboribus, ùt abſolutum quandocumque Opuſculum ad Regiam Societatem Londinenſem, in quâ Ipſemet erat Socius tranſmiſſurum fore, certâ Epiſtolâ, & ſignificaverit, & de tutâ ſperatam, certamque reddiderit. Infirmorum verò, & domeſtica cura, nonnullæque corporis Indiſpoſitiones involuntariæ procraſtinationi anſam dedere: quo tempore Tarantatorum obſervationibus operam navare, haud negligebam, Loci quo degebam opportunitate adjuvante, ob magnum Tarantularum numerum, variarumque ſpecierum, miſeris Ruſticis infeſtiſſimi: Phalangia etenim omnia, de quorum genere Tarantula eſt, valdè ſunt prolifica; itaùt aliqui Phalangiorum folliculi noningenta, alii pluſquàm mille ova continere invenerim.

Phalangia omnia, quæ mordacia ſunt, æſtate præſertim mordere ſolent, quùm præ nimio calore percita, ferociora evadunt; & hinc interdiù ùt plurimùm, ùt ego contrà Vallettam obſervavi, Campos peragrantia, neceſſarium perquirentia alimentum, ſi caſu quolibet fortuito Virorum, fæmellarumque ruricolarum ingredientur induſia, & malâ eorum ſorte inter veſtimentorum plicaturas, & cutem comprimantur, atrociter mordendo, cutem vulnerant. Sed quod notari hìc expedit illud eſt Fęminas Tarantiſmo ſuprà viros obno-

obnoxias sæpissimè observari, quod otioso vulgo assiduam præbet occasionem, nullis exceptis, Feminarum impudentiæ totam hujus Phænomeni causam tribuere. Re tamen benè perpensâ, peculiaris nostrarum Rusticarũ vestiendi consuetudo in causâ est: & præcipuè mense Junio, quùm vitæ substentandæ causâ, calidissimâ tempestate, & messis tempore in varias turbas divisæ, per omnes Cãpos à Messoribus jàm desertos spatiantur, ubi inter stipulas, paucas illas frumenti, hordeique spicas à festinantium Messorum falce neglectas diligenter colligunt, suosque sacculos solâ spicâ, resectis longioribus stipulis replent. Simplicissimo vestiuntur habitu, subuculâ nempè, & albâ utplurimùm Barnacidâ, quæ manicis caret: nuda brachia, nàm subuculæ manicas, quibus contegi deberent, ad liberiorem brachiorum motum, versùs humeros convolvunt, nudis prosùs superiori pectoris, & scapularum parte; venter, nates, coxæ, tibiæ, pedes, licet subuculâ, & barnacidâ velentur; nuda nihilominùs hæc membra considerare convenit: nàm solis Thoracis, dorsique portionibus exceptis, quibus illarum appositè coaptatur amictus, à cincto tamen ad malleos variis Barnacida plicaturis suspensa, honestati plus conducit, quàm ùt Tarantulis ingressum possit nullatenùs impedire

pedire

pedire. Quaderè Rusticæ fęminæ, vel per Campos ambulantes, vel sedentes, vel ad lubitum simul ludentes, Phalangio quopiam inter vestes, cutemque casu quolibet sublatescente, & cōpresso, venenati Insecti morsū illicò experiuntur. Talem igitur vestiendi consuetudinem in causâ esse, ùt quamplurimùm Fęminæ à Tarantulis mordeantur, Viri rariùs facili conjecturâ manifestum est: Ex viris autem Tarantati illi sunt, qui æstivis caloribus seminudi in Campis laborant: Civiles verò prçterquamquod Campos non frequentent, quùm præter manus, & faciem, reliqua corporis membra vestibus muniantur, non tàm facilè poterunt à Tarantulis morderi.

Nisi irritentur Phalangia vel pressione, vel alio quolibet argumento, nunquam mordere, experimur. Immò ùt pluries expertus sum si tenui vibice aliquod ex majoribus Phalangiis irritetur, vel modicè prætur, nisi in ipso vibicis ictûs, vel pressionis momento, morsui destinatum objectum promptum sit, numquàm Phalangium mordere experieris: ùt Viro Eruditissimo, perspicacissimo Philosopho, expertissimo Medico, & Amico meo D. Francisco Serao petenti Anno 1740, sub die 30. Septembris epistolâ significavi, contrà cujusdam Philosophi Appuli mentem, de quo ab ipsomet Serao nomen tacente in eâdem epistolâ fiebat mentio: Cui

num-

numquam arrisit Sors, ùt pro votis succederet experimentum, ùt suæ scilicet Tarantulæ variis irritatæ, ùt ajebat, argumentis, variisque super quibusdam volatilibus, Terrestribusque Animalibus applicatæ modis, illa momordissent. Oh Vicanas, rusticas, inofficiosas extrà morem Tarantulas! Quid cōterranei Philosophi lusistis operam? habeo: studio, ex industriâ, & dolo cum illo egistis Philosopho: imposturam fecistis, ùt tali scilicet fraude, ferociæ vestræ consuetudo non solùm exolescere, immò numquàm vobis inhęsisse videretur: talique argumento sed non absque famæ jacturâ vestræ Innocentiæ Promulgatorem, Defensoremq; forsan acquirere decrevistis; Nos à Phalangiis animalia Bruta morderi curavimus: veneni effectus manifesto se prodidere periculo: an verò Musicis sonantibus instrumentis ad instar Tarantatorum saltent, mihi non adhùc constat.

Omnia igitur Phalangia, & præcipuè majora mordacia sunt, ùt quotidianis certi redditi sumus periculis; eorumque morsum venenosum experti sumus: Forcipum operâ mordent, qui neque ob figuram, neque ob venenum in suis contentum cavitatibus, ùt falsò credunt aliqui, sed veneno exteriùs irrorati aliundè proveniente, officiunt, ùt inferiùs suo loco: Effectus verò ab eorum morsu productus *Tarantismus* vulgò appellatur,

homi-

hominesque morsi *Tarantati* dicuntur ; nàm per totam Apuliam omnes Phalangiorum species generico Tarantulæ vocabulo indicantur, ùt suprà diximus . Instrumentorum Musicâ Tarantismus hic communiter curatur, ùt infrà fusè explicabimus : & licet interdùm instrumentali pro lubitu sociatam vocalem invenias: nulla verò urget necessitas, ùt hìc perpetuò observamus . Advertas tamē omninò falsam esse Kircheri relationem : Musicos scilicet, ut proprium Tarantati modulamen, quo ad saltatus invitetur inveniāt, ab ipso Ægroto Tarantulæ mordacis, in quo degebat locū, speciem, & formam expetere : & illùc ipsi convenientes , descriptæ formæ invenientes Tarantulam, si variis tentatis sonis , peculiari quodam tandem peracto modulamine saltet Tarantula , isto præcipuo pro illo utuntur Tarantato, qui tali curatur argumento. Apage , apage has futiles , & insulsas ineptias.

Variis Musicam morbis consulere habemus ex Gell. Plutar., aliisq. : Plutar. lib. de Mus. Priscorum in Conviviis introductam fatetur, ad ebrietatem elidendam , & hinc Homer. ex Plut.

,, Saltatus simul, & cantus Convivia poscunt.

& Balthasar Bonifac. Ludicr. hist. l. 4. c. 7. ait :
,, Data .s. est Musica hominibus tanquâm lac A-
,, nimę,& gratissimū solicitudinis lenimentum,
,, & laborum solatiū, atq; remediū perquàm
,, jucundum, ad inducendam humanarum Cala-
,, mita-

„ mitatum oblivionem , quibus vita hæc
„ noſtra undique ſepta deprehenditur.

Sed ità quandoquè animum movet Muſica , ſi incautè , & ex voluptate eâ quis utatur , ut mente prorsùs alienatâ præcipiti ſenſu in incongruas irruat actiones , ut ex Plutarcho lib. 7. Quæſt. conv. habetur; majorem vim Muſicæ ad inebriandum , quàm vino ineſſe de quodam enim ait , qui „ laſci-
„ vis Tibiæ cantibus , detexit ſe prorsùs,
„ oſtenditque Muſicam majorem , quam vi-
„ num vim habere ad inebriandum illos , qui
„ eâ temerè , & largiùs ingurgitant ſe.
Tanta vis igitur eſt in Muſica ! licet fabuloſæ exiſtimentur quædam antiquorum Medicorum curæ : ut peſtilentiam fugare , varioſque alios morbos , ut ſcribitur de Thalete Cretenſi , ſeù Gnoſio , vel Colophonio , ut aliis placet , qui cantu Citharæ morbos, & peſtilentias fugabat , ita ut Lacedæmonios ope Muſicæ à peſtilentia liberaverit . Similem morbum Phæbum in Græcorum Caſtris craſſantem Muſicâ propulſaviſſe Homerus ſcripſit . Fabuloſum quoque eſt , immò & ſuperſtitioſum quod de Orpheo à pluribus canitur , ut Seneca Tragicus in Hercul. Oeteo. Act. 3. Chor. Verſ. 1031.

„ Verum eſt , quod cecinit Sacer
„ Threſſæ ſub Rhodopes Jugis ,

„ Tangens Threiciam Chelym
„ Orpheus , Calliopæ genus,
„ Æternum fieri nihil.
„ Illius ſtetit ad modos
„ Torrentis rapidi fragor,
„ Oblitusque ſequi fugax
„ Amiſit liquor impetum.

Et alibi in Medea Act. 3. Chor. Verſ. 625.

„ Ille vocali genitus Camæna
„ Cujus ad chordas modulante plectro
„ Reſtitit torrens , ſiluere venti,
„ Cui ſuo Cantu volucris relicto
„ Adfuit tota comitante Sylva, &c.

Viperæ morſum Muſicâ curari poſſe negat Franciſcus Redius , immò & Pythagoricos redarguit , Muſicam variis morbis proficuam medicinam exiſtimantes, contra Gellium, Zacutum , & alios : quod fabuloſum quoque Mercurialis lib. 2. cap. 3. de Venenis ſimili probat argumento . Nihil prorsùs de ſuperſtitioſis carminibus dicere eſt animus, ut de illâ Quint. Sereni inversâ piramide ex verbo Abracadabra compoſitâ , ait enim de Hæmitriteo depellendo:

„ Inſcribis Chartæ, quòd dicitur Abracadabra,
„ Sæpius , & ſubter repetis , ſed detrahe Summam,

„ Et

„ Et magis, atque magis desint Elementa figuris
„ Singula quæ semper rapies, & cætera figes,
„ Donec in angustum redigatur litera corum.
„ His lino nexis collum redimire memento.

Fabulosum quoque est Musicam vulneribus etiam proficuam aliquo modo esse posse: negari tamen non potest, Musicam alacriores homines reddere, & hilariores; ob aëris vibrationes à musicalibus instrumentis excitatas, & eorũ corporis fibris cõmunicabiles: Quâdere non incongruum erit asserere, aliquos vel corporis, vel animi morbos Musicâ curari posse, ut suo loco fusiùs explicabimus.

Nec solùm hominum morbis Musica opitulatur, sed naturales quoque eorumdem vires ad audaciam usque extollit, magnificatque: hinc idem Plutarchus in Laconicis Institutis: „ Jam affectabant Cantilenarum ele-
„ gantiam, & carminum, quibus inerat a-
„ culeus, qui excitaret animos, spiritusq;
„ quasi motu phanatico, & alacritate inflam-
„ maret, & paulò post . . . . . Quippe copu-
„ lavit bellicæ meditationi Lycurgus Musicæ
„ studium, quo ardor immodicus bellandi
„ cum modulatione temperatus, concentum,

 „ ap-

„ aptamque , & consonantem convenien„ tiam haberet, Elephantum iram compescere, & Equos in bellorum pugnis roborare, alacrioresque facere assidua confirmat experientia: Sic & infantes nullâ freti musicæ artis peritiâ, melodiis deliniti obdormiunt. Quidquid dicant adversus, Musicam Artem Ephectici Philosophi, ut apud Joannem Franciscum Picum Mirandulæ lib. 3. cap. 9. in examine vanitatis doctrinæ Gentium pagina *mihi* 971 varia adsunt exempla, & Ephecticorum Philosophorum argumenta; Musicam scilicet equos, & homines non excitare, sed tumefacere, ac proindè vitæ inutilem esse, quod nihil ad nos. Nam juxta id, quod ad Physicam pertinet, quamplurimi oculati testes contrarium prorsùs quotidie experiuntur, & nos aliorum omittentes exempla, ocularis nostra inspectio, ex quotidianâ experientiâ de miraculosis quasi Musicæ effectibus certiores reddit; & ut Plautus in Truculento Actus secundi Scena 6 ait:

„ Non laudandus est quoi plus credit qui audit, quam qui videt,
„ Non placet, cum illi plus laudant, qui audiunt, quam qui vident.
„ Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem.
„ Qui audiunt, audita dicunt: Qui vident planè sciunt.

Ta-

Tarantulas ipsas, de quibus nunc disserimus musicalium instrumentorum concentibus saltare, oculati quidem Testes prætendunt. Ego tamen propriis oculis experiri volui: Mense Julio Cytharedo, Lyricineque convocatis, Comite amicissimo meo erudito Viro Domino Francisco Mazzotta, per arva, vineasque ad Tarantulas explorandas spatiabamur, variasque variis exploravimus musicorum instrumentorum incentionibus: nullam tamen saltatus vel minimos edere nobis videre fuit sors, præter unicam de genere Phalangii argentei majoris, quæ an à Musica ad saltatus inducta fuerit, an à qualibet alia causa, a Vento scilicet, decernere non potui: Pluribus tamen hoc indiget experimentis, ut clarius veritati consulatur; A multis verò Musicis, præcipuè Rusticanis, qui fistulam Utri cuidam Pneumatico applicitam, parvaque tympana sonant, pro certo asseritur: Unus namque ex istis mihi poscenti dicebat, suo confirmante Socio; relevandi animi gratiâ plures Tarantulas varii generis intrà vannum farinaceum collocasse, variisque fistulæ, Tympanique incentionibus, nunc una cæteris quiescentibus, nunc altera nullimodè se moventibus aliis, saltabat. Quâdere cum omnia, quæ circà Tarantulam desiderari possent meis experimentis præcedentibus, sedulioriq;

auto-

autopsiâ literarum Universitati palàm facere mihi fuerit animus ; hoc præsens Opusculum universis Eruditorum oculis exponere haud sum dedignatus. Hoc igitur Opusculum Amice Lector qualecumque sit attento quæso animo perlege : Anatomen etenim obsolutissimam quantum fieri potuit, insectique partium mollities permittebat, distinctissimè descriptam invenies : Observationes nonnullas pro majori parte nostras, nostrorumque Amicorum alias de Tarantatis differentes : Aliqua de Tarantulini veneni natura, & effectibus, licet parùm disertè tractata observabis: & demùm brevissimam dissertationem de miraculosâ Tarātatorum curatione. Et quamvis hoc meum Opusculum usque ab Anno 1734 Typis imprimi debuisset, quænam tantæ moræ causæ fuerint, ne te lateat, paucis me expediendo ingenuè fatear.

Excellentissimo Viro D. Nicolao Cyrillo grati animi gratiâ Opusculum hoc dicare volui Anno 1734. Improvisa tamen morte Viro eximio duobus à Dedicatione mensibus extincto, Opusculum meum à Cyrilli Nepotum lacrymis fortasse fatigatum, alium sibi Protectorem ex semetipso invenire ausum est, Illustrissimùm Virum scilicet Dominum D. Cœlestinum Galianum Archiepiscopum Tessalonicensem, Prothocappellanum

num Regium, Regiorumque Studiorum Prę-
ſidem, necnon & Regiæ Scientiarum Academiæ Neap. Promotorem, & Patronũ, qui Cyrilli Morte ſequutâ Opuſculum meum à prędicti eximii Viri Nepotibus poſtulans, humaniſſimo, gratoque animo, petenti eruditiſſimo Præſuli, ab iis abſque morâ exhibitum, Domino D. Franciſco Serao Medicinæ Doctori, Regiæ Scientiarum Academiæ Secretario, in quâ & Ego quoque ſum ſocius, inter Acta ejuſdem Academiæ conſervandum dedit, ut unà cum aliis Academicorum Actis in aliquo tempore proficuus illius fieret uſus; ut ipſemet Galianus mihi Epiſtolâ ſignificavit die 30 Menſis Julii Anni 1735. Nunc tamen ſex jam annis elapſis, quûm præter omnem expectationem Opuſculum meum, nec adhùc editum, nec mentionem aliquam de illo fieri Amici mei animadvertiſſent, totis viribus ad illius editionem, importunis quidem exorationibus me impulerunt, & præcipuè doctiſſimus Eques, & ſolidæ ſcientiæ Vir D. Joſeph Carignanus, naturalis facundiæ ſuæ perſuaſionibus ad hujus Opuſculi mei editionem feſtinandam, & perſuaſit, & præcepit: Cujus ingenuis inſinuationibus me obſequuturum & promiſi, & conſtitui: & hæc ſunt Amice Lector, quæ ſuper hoc noſtro Opere ſummariè Tecum Conferre poſſum.

Brevi

Brevi tamen nonnullos Magni Hippocratis libros Italico Carmine interpetratos edituros expecta: Jus jurandum scilicet: Legem: Librum de Arte: de Priscâ Medicinâ: de Medico: de decenti Habitu, & Ornatu: Præcepta: Prænotiones: de Naturâ humanâ: Universosque Divini ejusdem Senis Aphorismos: Sicuti & brevem herbarum omnium descriptionem à Lycii hac Civitate usque Neapolim spontè super viâ provenientium peculiari libello exaratam Typis concedere est animus: Pharmacopæam quoque provincialē, quæ nullis aliis exornatur simplicibus, nisi iis, quæ abundantissimè ab hâc nostrâ Hydruntinâ Provinciâ nobis suppeditantur. Variasque Insectorum observationes curiosissimas, Microscopii, meæque patientiæ ope detectas: Peculiarem demùm observationem super Hydrargyri in tubis Vitreis altitudine in hâc Lycii Civitate, Deo dante publici juris faciam. Brevemque post hoc de Tarantulâ Opusculum dissertationem coaddere volui, de Delphinii arvensis usu in intermittentium febrium recidivis. Cura ut valeas. Datum Lycii die 3. Mensis Martii. Anno Domini 1741.

CAPUT

CAPUT I.

DE TARANTULA, EJUSQUE SPECIEBUS.

E' Phalangiorum, vel Anareorum genere, Animalculum Tarantula dictum in Italiâ, nonnullisque aliis Orbis Regionibus proveniens, ut in Indiâ Occidentali, & alibi, nullibi locorum tàm accuratè, ac exactè meruit considerari, quàm in totâ Apulię Regione, suisque peculiaribus Provinciis, inter quas præcipua nostra hæc Salentinorm Terra in Hydruntinâ Provinciâ, quam Japygiam antiqui denominabant, à Japyge cum magnâ Atheniensium, ac Cretensium Turbâ hùc pervento, Dedalum Patrem Eupalami Avi sui jussù quæritante, quo non invento, nec ampliùs Athenas regredi judicans, varias cũ suâ Gente juxtà Salentinum Promontorium Atheniensium, & Cretensium ædificavit Colonias: Sed è diverticulo ad viam; Nullibi itaq; tàm diros hoc Animalculũ venenoso suo morsu producit effectus, illosque omnẽ quidem oculatorum usque Testium fidem superantes, quàm in prædictis Apuliæ, & Japygiæ Regionibus: à Tarantulâ namque demorsi, vel

ſymptomatibus infrà dicendis ingraveſcentibus vitâ penitùs deſtituuntur: vel ſi remedia locum habebunt, nullum præſentius, utilius, ac divinum magis, quàm Muſica Inſtrumentorum; variis namque Lyræ, Tibiæ, Barbiti, Cytharæ, Tympani, Siſtri, aliorumque ſimilium proluſionibus ſaltant Tarantiaci, bacchantur, tripudiant veluti Ebrii; & mente quidem tàm alienatâ, ut delirantium; ſtolidorumque aliquandò ſectentur ineptias.

Hoc tamen in omnibus Tarantiacis obſervatione dignum eſt, eorum ſaltationes, licet ad inſtar Bacchantium Thyaſi celebratas, non ſolùm inregulares non ductare, ſed ità regulariter Muſicæ numeris, & concentibus conſonę ab ipſismet Choreæ ducuntur, ut ipſorum ſaltationes, & luſus harmonicè Muſicorum Inſtrumentorum, ſymphoniacis modulationibus concordi ordine correſpondeant: immò & minimos Muſicarum proluſionum defectus, inſenſibileſque Inſtrumentorum diſſonantias ità advertant, ut peritiſſimos Muſicæ artis Magiſtros fatearis, quùm ut plurimùm Ruſtici ſint, & Muſicæ penitùs ignari. Et cæteroquin extrà Paroxyſmum ab Inſtrumentorum Proluſionibus excitatum, graviſſimos Muſicorum errores, notabileſque diſſonantias nullimodè agnoſcere valeant.

Adverti hic quoque neceſsarium puto non

tantùm

tantùm Tarantulam appulam venenosam esse, effectusque infrà dicendos producere, verùm etiàm nonnullæ aliæ Phalangiorum species, eosdem suo venenato morsu, vel saltem similes effectus pariunt, ut assidua testatur experientia: Contrà quam irruere stoliditatis potiùs quàm summæ ingenij perspicacitatis est indicium. Præcipuus hic mos esse solet sciolorum quorumdam, qui ut se suprà alios sapere videantur, argumentis quibusdam insulsis, & non aliundè, nisi ex proprij amoris Pænu desumptis, veritati, & evidentiæ sese opponentes, à solâ contradictione aliquantulam credunt decerpere gloriolam: Et mente lapsi laborant ab animo, insaniunt, delirant, desipiunt: integræ demùm mentis non sunt: Oculis aliquandò morigerandum, obsecundãdum, concedendum aliquid: Observiendum est evidentiæ, nec bonæ frugis ingenij est, longè diversa sentire, & quamsæpissimè accuratissimis tot virorum emunctæ quidem naris observationibus penitùs opposita pronunciare. Interdùm tamen oculatos usque Testes audēt redarguere, quorum sententiæ, & judicio consentire deberent, & præcipuè illi qui nunquàm Tarantiacos observaverunt, nec tractavere Tarantulas; neque Regionem istam in quâ Phalangia ferè omnia virulenta sunt è longinquo saltem salutaverint. Atque hinc Plau-

tus in Trinummo Act. 4. Sc. 3. verſ. 63.

„ .. Mare, Terra, Cœlum, Dî voſtrã fidem!
„ Satin' Ego oculis planè video? eſtne ipſus,
an non eſt? Is eſt.

A' quo Plauti exemplo audacior factus, in hæc prorumpam verba. Mare; Terra, Cęlum, voſtram fidem! Tarantula, quæ momordit: Viri, Pueri præmorſi: Symptomata ſtãtim à morſu ipſane ſunt an nõ ſunt? ipſa ſunt.

Admirabiles quidem ſunt Tarantulini veneni effectus: Omnes tamen qui de hac re ſcriptis aliqua mandarunt, de Phalangio appulo tantùm verba fecerunt, forſan hoc ſolum Phalangium venenoſum exiſtimantes, præter Antiquos quoſdam Scriptores qui nonnullos alios Araneos venenoſos experti ſũt. Quapropter ſympomata Tarantiacorum à me hunc ſcribente Opuſculum infrà enumeranda, non tantùm à Phalangij appuli morſu excitantur, verumtamen à nonnullis alijs, Phalangiorũ ſpeciebus.

Arabes Tarantulas Rutelas vocant: Undè Rhaſis Tract. 8. cap. 5. „ Rutela eſt Ani-
„ mal parvo Araneo aſſimilatum, quod voca-
„ tur Phihit, Muſcas venari ſolitus. Quapropter Rhaſis Rutela erit forſan Phalangiũ Lupus dictum, qui Arabicè, ut ſuprà ex Rhaſi vocatur Phibit: Et varias Rutelæ ſpecies numerat: Sequitur Rhaſis: „ Sibeh verò

„ magno

„ magno Araneo longos habenti pedes assimila-
„ tur: Quaderè Sibth Rhasis erit forsan Phalangium nostrum secundæ speciei, ut infra in Peculiari Paragrapho in quo Phalangiorum species enumerantur. Araneus verò Rhasis ad quamnam Phalangiorum speciem referendus, non dum satis constitui: Venenosissimum tamen esse ex symptomatibus ab ipsomet in loco citato enumeratis planè constat.

Ulysses Aldrovandus putat Lucanum in suæ Pharsaliæ lib. 9. Tarantulas Solpugas, vel ut ipse ait salpygas appellare: Sic Lucanus.

Quis calcare tuas metuat solpuga latebras?
Et tibi dant stygiæ jus in sua fila sorores.

Quapropter adhùc Parcas Infernales, seù stygias ex Lucano mox citato appellari fatetur. Atque ideò Parcas appellari, quod fila producere, & nere sciant.

Fallitur tamen Aldrovandus, nam dare jus in sua fila, non audit Solpugam ad instar Tarantulæ fila producere; benetamen adeò venenosam esse Solpugam, ut suum venenum Parcarum fila recidere valeat; ultimam scilicet Hominibus suo morsu necessitatem denunciare.

Plinius libr. 8. Cap. 29. Solpugas Formicæ cujusdam venenosæ speciem esse ait, quę Æthiopiam habitat; & Citrà Cynomologos Æthio-

Æthiopes valdè desertam Regionem esse, à Scorpionibus, & Solpugis Gente sublatâ, & expulsâ. Immò quùm de Tarantulis, seu Araneis lib. 29. Cap. 4. Hist. Nat. loquitur de hoc Solpugæ Vocabulo nullam facit mentionem; Quapropter si Solpuga Plinij eadem est cum Solipuga Fæsti, vel Solifuga Aliorum, ità dicta, quod solem fugiat: sequitur quod quùm Tarantularum nulla species Solem fugiat, Solfuga, vel Salpyga Aldrovandi non erit Solfuga Plinij: & Solfuga Aldrovandi, & Plinij sub nostrarum Tarantularum speciebus non continentur. Sed à diverticulo ad viam.

Tarantulæ vocabulũ à Tarento in Salentinis Apulię Urbe Celeberrima ortum duxisse idem nomen demonstrat, & suadet; vel à Flumine Taras circumjacente, & animalculum, & Civitatem Tarantulę, ac Tarenti vocabulo cognominata esse: licet Tarentũ à Tara Neptuni Filio, aut socio nomen sumpsisse dicant aliqui: sed ne frustrà in vocabulorum quęstionibus, Authorumque locorum collationibus tempus teramus, hoc quidem scire sufficiat, in hâc nostrâ Salentinâ Regione Tarantulam genericum esse vocabulum sicuti & Phalangium; nam nostri Gręci Salẽtini, qui circà Leucadis Promontorium multos conticuos habitant locos à Japygis tempore

ad

ad hanc Regionem cum numeroſo Cretenſium, & Athenienſium exercitu pervenientes, & Naufragium paſſi, Terram hanc occupaverũt circà annos ab orbe condito 2590, qui uſq; adhuc grȩco loquuntur Idiomate, Phalangia vocant omnes Tarantularum ſpecies. Sicuti & Plinius lib. 29. Cap. 4. licet in Italiâ hoc phalangium non cognoſci poſitivè aſſerat; Quapropter ne tanti Viri fidem ſuboffendam, & violem, neſcio pro hoc phalangio exotico quodnam animal Plinius intelligat, quod in Italiâ minimè cognitum ſit, ait enim ,, Phalãgium eſt Italiȩ ignotum, & plurium generum. Unum ſimile formicȩ, ſed multò majus, ruffo capite: reliquâ parte corporis nigrâ: albis intercurſantibus reſperſũ guttis. Acerbior hujus quam veſpȩ ictus. Vivit maxime circà furnos, & Molas &c.; Forſan hoc Phalangium exoticum incognitum Plinij erit Myrmecion ejuſdem Authoris de quo paulò inferiùs in eodem capite: ,, Myrmecion formicȩ ſimilis capite: alvo nigrâ guttis albis diſtinguentibus: Veſparum dolore torquet. Vel demùm hoc animalculum Italiȩ, & Plinio quoque incognitum, erit forſan formicæ genus venenatum, de quo ipſemet Plinius in eodem cap. lib. 29. ſic ſcribit: ,, eſt & formicarũ genus venenatum. Non eas novere in Italiâ. Solifugas Cicero appellat; ſed

pro rei veritate quid de hoc Plinij loco intelligi debeat, anceps animi ſum.

Tarantulam appulam pernicioſam, Araneum appellat Kircherus libro 3. de Art. Magn. part. 8. cap. 8.

Tarantularum ſtructura mirabilis quidem eſt, quæ licet à nonnullis aliis naturæ inveſtigatoribus ſit inquiſita; ipſe tamen infinitâ ferè patientiâ, ac curioſitate; diligẽtiori quantùm fieri potuit examine, & curâ, Tarantularumque partium flacciditas permiſit, exactiorem ejus Anatomen tradere, uſusque ſingularum partium perſcrutari conabor.

Rationi tamen conſentaneum eſſet antè Tarãtulæ partium deſcriptionem varias ejuſdem ſpecies numerare, quas ſi à Scriptoribus velis eruere, ut ab Avicenna, Plinio, Ariſtotele, Matthiolo, Baglivo, Aldrovando, & Aliis nonnullis, qui ſub hac re varia ſcripſerunt, vel confuſas in aliquibus Phalangiorum invenies differentias, vel parùm exactas in aliis: qui ſuis non obſequẽtes animis, quæ aliorum mentis libido poſuit pro ſuis ediderunt. Mihi verò hunc Opuſculum ſcripturo, pro meo jure ſcribere conſilium eſt; & omni quâ fieri poterit diligentiâ, & curâ, ſequentes tradam Phalangiorum ſpecies.

§. UNI-

§. UNICUS.

Phalangiorum species omnes in apuliâ, & in Hydruntinâ Provincia Cognitorum numerantur.

UT penitùs tollatur confusio omnes Tarantularum species Phalangia dicantur, veluti generico, & Universali vocabulo. Specificantur quidem à peculiari partium externarum dispositione, industriâ, colore corporis, oculorum numero, pedum longitudine, & brevitate, ventris figurâ, ac variâ locorum habitatione. Hìc tamen in Salentinis Apuliæ, nostrâque Japygiâ nullâ factâ Phalangiorum distinctione Vulgus Phalangia omnia Tarantulas vocat: immò remedium, quod ex Musicâ eorum morsibus opponitur, varia scilicet instrumẽtorum musicalium modulamina Tarantellas generico appellant vocabulo. Phalangiorum itàque species à me cognitas hìc habes.

I. Species. Phalangium innocuum Octonoculum domus habitans, longissimis pedibus, parvo corpore, colore fusco, proprii generis forcipibus munitum, telas texens absque ordine.

II. Phalangium Octonoculũ, coloris subnigri exuvias quolibet anno deponens, domus

præcipuè non habitatas incolens, longipes, corpore mediocri, & pilosissimo, telas texens ut plurimùm latissimas, vel in murorum canthis, vel in eorumdem foraminibus, circà quæ exteriùs ut plurimùm in orbem expandunt.

III. Phalangium Octonoculum parvum, portarum fissuras ut plurimùm habitans, rapidè saliens: strenuus Muscarum, astutusq; venator; parvo corpore, coloris ex nigro, & albo mixti: muscas non aliorum more telarum ope captans, sed hinc indè per portas, murosque vagans diligentissimè venatur, forcipibusque proprii generis munitur.

IV. Phalangium Octonoculum, forcipibus proprii generis munitum, portarum fissuras ut plurimùm habitans, rapidè saliens, strenuus muscarum, astutusque venator, parvo corpore; coloris ex nigro, albo, luteo, & rubro eleganter permixti.

V. Phalangium viride minimum, Octonoculũ, forcipibus proprii generis munitum, arbores habitans, fructusque, veluti internam malorum punicorum coronam, uvarum racemos &c.

VI. Phalangium binoculum pedibus longissimis, quos suo lubitu spiraliter veluti in cincinnos colligit, & involvit, ut herbis, filisque suæ telæ sat raræ, & incompositæ sese appre-

apprehendat: hæc Phalangii ſpecies, ut dictũ eſt duos habet oculos, & forcipes ad inſtar Scorpionum, quos inferiùs deſcribam, quùm de forcipum anatome: In ſuis pedibus multas habet articulationes, quæ ad numerum ſeptuaginta quatuor aſcendunt.

VII. Phalangium fuſcum minus, Octonoculum, arbores habitans, telam ſuam mediocri extendens ſpatio, & circinatò circà centrum diſponens.

VIII. Phalangium Octonoculum majus, corpore oblongo, veluti ſtriato, ſtrijsque aliquantulùm tortuoſis, flavis, & nigris per longum diſpoſitis eleganter variegato: in humilioribus herbis telas texens incompoſitas.

IX. Phalangium Octonoculum arvẽſe minus, coloris nigerrimi, forſan Pulex minor Ariſtotelis.

X. Phalangium Octonoculũ minus argenteum, lucidiſſimum.

XI. Phalangium Octonoculum arvenſe minus, mediocris tamen magnitudinis, ex rubro, nigroque colore rotundo ventre variegato.

XII. Phalangium OctonoculũRicinoideũ, glabrum forcipibus proprii generis, oſſe unguiformi longiſſimo, venenoſiſſimum, tardi motus, ſub ſaxis habitans.

XIII. Phalangium Sphæroideũ Octonoculum

lum maximum argenteum, telas circinatò diſponens, ex craſſioribus filis compoſitas, quarum medium, ſeu centrum habitat.

XIV. Phalangium arvenſe Octonoculum, Lupus dictum, exiguo corpore, telas, vel nullimodè texens, vel pauciſſimas.

XV. Phalangium Octonoculum Lupus dictum majus, aſperam, pravamque telam per magnum extendens ſpatium, quam propè terram, & ſepes orditur.

XVI. Phalangium Octonoculū Lupus dictum varium, paucam, vilemque telam ſub arboribus faciens.

XVII. Phalangium Octonoculum elegantiſſimum minoris magnitudinis, oblongiuſculi corporis: ad ventris latera duas habens extuberantias, quæ lucidiſſimæ ſunt, itaùt cryſtallum, vel pretioſum undequàque lapidem æmulentur.

XVIII. Phalangium Octonoculum minimum nigri coloris, magnitudine majuſculū adæquans pulicem, valdè minus illo, quod ſub nonâ ſpecie continetur: an pulex minor Ariſtotelis; Uvarum racemos quandòque habitans.

XIX. Phalangium Octonoculū minus, fuſcum piloſiſſimum, longipes, domus habitans, telas texens incompoſitas, in quarum uno cantho ſuam efficit cavernulam ex denſiori

ſiori telâ compoſitam.

XX. Phalangium venenoſiſſimum, ſub Terrâ ad quinque, vel ſex digitos cavernulas ſibi excavans pro ſuâ quotidianâ habitatione: externumque tantùm ſuæ Cavernulæ orificium ſtramine, & ſpiſsâ veſtit telarum tunicâ: Octonoculum eſt coloris ſuperiùs ex fuſco, albo, nigroque, inferiùs ex flavo, luteo, & nigro variegatum, valdè piloſum quoque eſt: Scorpio dicitur ab Incolis, & eſt vera Tarantula appula, de quâ tàm eleganter, ac induſtriosè varii ſcripſerunt Authores.

XXI. Phalangium Octonoculum arvenſe majus venenoſum ex rubro, nigroque colore tantùm variegatum.

XXII. Phalãgium Octonoculum minimũ formiciforme, culicum, pavorumque papilionum venator, herbas habitans, coloris elegantiſſimi ex aureo, argenteoque variegati, nigriſque maculis interſperſi.

XXIII. Phalangium Octonoculum minimum, minimo quidem ventre, maximoque capite, forcipum oſſe unguiformi longiſſimo, & valdè acuto, itaùt oſſis navicularis longitudinem valdè excedat; rapidè ſaliens, coloris ex albo, ac nigerrimo elegantiſſimè variegati.

XXIV. Phalangium Octonoculum Lupus

dictum

dictum parvum, longioribus pedibus hincindè per plãtas vagans, Muſcarum, culicumq; venator: & ad inſtar Cancri marini lateraliter ambulans.

XXV. Phalãgium Octonoculum longipes, corpore oblongo, domus habitans, cujus oculi utrinque capitis quatuor acervatim poſiti, & in forcipibus peculiaris Naturæ luſus obſervatur, ut oſtendit Tab. 2. fig. 1. & fig. 3. Hoc Phalangium antennis caret.

XXVI. Phalangium Octonoculũ minimum: maximo capite, & nigerrimo, ac lucido, proprii generis forcipibus munito, ventre parvo, variegato, ex nigro ſc:, luteoque colore permixto.

CAPUT II.

De Tarantulæ Anatome.

TArantula, quæ ſuperiori capite à Tarenti Civitate, vel à flumine Taras, vel à Tara Neptuni filio nomen deſumpſiſſe diximus, abſre non erit ulteriorem coaddere conjecturam, cujus ope forſan ejus Etymologiam propiùs inſpicere poterimus. Fortaſsè Tarãtulæ vocabulum à vernaculo idiomate corruptum antiquitùs Θηράνθορα dicebatur, à voce Θὴρ, ideſt Fera, & ἄνθορα, quæ antiquo vocabulo idem eſt ac venenum, licet pro Napello ab aliquibus ſpecialiter habeatur. Vel

à

à θὴρ, & ἔντασις, quæ intenſionem, ſeu internam tenſionem ſignificat; & ἐντατικὸς idem ac intenſivus vel ab effectibus, quos morſu producit, vel ab ipſius animalculi natura: Immò Pagorum, qui juxtà Tarentum ſunt Habitatores, dùm contumeliâ Tarentinos Cives volunt afficere, illos Tir vocant: quod Tarentini graviter ferunt, veluti valdè opprobioſâ affecti ſolicitudine: ἐντατικὸν emplaſtri nomen, quaſi dicas intenſorium: Conſtat enim pro majori ſimpliciũ parte iis, quæ penem poſſunt intendere: ùt videre eſt apud Jo: Gorræum in defin: med:. Hoc tamen etymon mea eſt conjectura, quam libenter publico ſubiiciam criterio; his tamen relictis, ne potiùs Grammatici, quàm Philoſophi videar nomen mereri, animalculi, de quo nunc ſermo eſt anatomen exponam.

Tarantulæ igitur expoſiturus anatomen, externas ejus partes primò deſcribere rationi congruum putavi: licet non omnes nudis oculis videri queant; Summariè tamen loquendo, in Tarantulâ conſidero caput A (Tab. 1. fig. 1.) quod unà cum pectore veluti unum conſtituunt corpus in aliquibus ſpeciebus ſubrotundum: vel oblongiuſculum in aliis, abſq; ullâ ſenſibili diſtinctione efformatum A F; Forcipes duos ad frontis latera B B, quorum auxilio eſcam ori apponit, morſumque veneноſum

nosum insigit : Os F (fig. 7.) sub forcipibus situm est : octo pedes D D D &c. (fig. 1.) quatuor utrinque radiatim pectoris utrisque lateribus adnascuntur : reliquum corporis abdomen totum est E E E E (fig. 1., & 7.); & in suprema ejus parte sub pectore H H H &c. (fig. 2., & 7.) rimula est X transversim oblongiuscula, quæ uteri est orificium in fæmellis, & instrumenti masculei locus in maribus, ut Bon voluit, sed ego nunquàm vidi, variis, & minutissimis munita forcipulis o o o o.

In infimâ ventris parte quædam adnascuntur papillulæ, filorum scilicet emissaria G G G G S (Tab. 1. fig. 2., & 7.), & quinque numero sunt, quarum una major, & inferior foramen habet, quod anus Tarantulæ est S.

Juxtà forcipes utrinque unus veluti parvus pes adnascitur C C (fig. 1., & 2.) cæteris multò brevior : cornua, vel antennas vocat Baglivus, quas velociter movet, dùm prædæ propinquior est, ut idem adnotat, & ego pluries observavi.

Superior, anteriorque sui capitis pars octo exornatur oculis f f f f &c. (Tab. 1. fig. 1. & 3.) licet unica Phalangii species duobus oculis tantùm donetur; Oculorum dispositio non eadem in singulis phalangiorum speciebus observatur, ut inferiùs videre est, ubi de oculis : Varii namquè naturæ lusus in eorum ordine,

dine, & diſpoſitione admirantur. Et hæc ſummariè de Tarantulæ anatome dicta ſatis eſse reor; Nunc accuratiorem ſingularum partium deſcriptionem aggrediar.

CAPUT III.

Tarantulæ Caput, & Oculi examinantur.

HAbes jàm amice Lector Oculorum Tarantulæ numerum, Octonoculam etenim eſſe obſervavi: immò præter unicam Tarantularum ſpeciem, Phalangium ſcilicet Scorpioideum ſextę ſpeciei, cæteræ Tarantulæ Octonoculæ omnes ſunt: quam oculorũ multiplicitatem conſiderans, quâ ſcilicet de cauſâ à ſummo Creatarum Rerum Conditore tot illis dati ſint oculi, quùm duo forſan ſatis eſſe poſsent, ſic mecum arguo: Tarantula ùt cibaria ſibi quæritet, ſagaciſſimè utplurimùm telarum ope varias futuræ prædæ molitur inſidias: Muſcæ, Culices, parvæ Locuſtæ interdùm, nonnullaque alata, ſed parva Inſecta ſæpiſſimè ſua ſunt eſca; Majora namquè venari nequit, ne Phalangii illius audaciſſimi Æſopiani ſortem ſortiatur, (Æſopus in Fab. 242.) quod pendulas texens telas muſcis, culicibuſque captandis idoneas, videns hyrundinem per eamdem volitantem viam Muſcas quoque totis viribus inſequētem,

audaciâ ſpem exhibente, ipſam quoque Hyrundinem ſuis captare auſum eſt inſidiis; ſed quùm Muſca quædam ab Hyrundine inſequuta, in Telam illam incidiſſet, hyrundo faciliori periculo, & Muſcam, & Telam, & Phalangium unà ſimul ſecum aſportavit. Alata igitur ſed parvula inſecta ſuum ſunt Edulium; alas ipſa non habet, quarum ope ſupradicta volitantia venari poſſit animalcula: Tardigrada potiùs, quàm Celeripes eſt. His igitur ſuppoſitis conditionibus, & oculorum ſitu conſiderato, quos in ſupremâ capitis parte obtinuit; Eorum multiplicitate perpenſâ, nàm undequaque caput veluti coronâ oculis cingitur: Hæc omnia in id conſpirant, ut prædam è qualibet parte advenientem videns, faciliùs venari ſtudeat.

Unum Os interiùs cavum, exteriùs gibbum, tàm caput A, quàm dorſum F efformat (Tab. 1. fig. 1.) quod inferiùs cum oſſe pectoris immobili coniungitur articulatione per quoſdam proceſſus, in quorum intercapedinibus Pedes, Antennæ, & Forcipes articulantur.

Caput verò viſcus quoddam continet cerebro ſimile, & ſanè cerebrum eſt: Minimum quidem proportione datâ cum capitis cavitate, nàm totam ejuſdem non implet cavernam, ſed illius vice ſeroſo quodam, & veluti aqueo, reple-

repletur humore, cui immediatè inferna oculorum convexa superficies insidet : forsan humorum aquei, & vitrei in nostris oculis analogo. Substantiæ est mollissimæ, & flaccidissimæ ; A' cerebro tenuissima quædam filamenta nervea ortum habentia membranæ cuidam inseruntur, quæ per ossis Capitis cavitatem expanditur. Quapropter nervos istos in Tarantulâ nervorum opticorum vices obire rationi valdè congruum existimo. Ex capitis cavitate anteriori, & laterali parvi aliqui musculi originem trahunt, qui intrà forcipum fistulata ossa inseruntur, ùt fusiùs quùm de forcipibus.

Anterior igitur Capitis pars, quæ Frons dici posset octo habet foramina oculis excipiendis destinata: totaque ejus cavitas, anterior scilicet, & quantùm oculorum situs, & dispositio postulat spatii, muco quodam obducitur obscurè violacei coloris, & ad nigrū quasi vergentis, cujus usus idem est, àc tunicæ uveæ in nostris, & brutorum oculis : lucis scilicet radiorum fàsciculi à variis objectorum punctis reflexi crystallinas Tarantulæ oculorum lenticulas ingressi, & in subjectis humoribus proportionalitèr refracti, facilitèr in cerebro confusas imprimerent objectorū imagines, ni eorum actio in superficie illâ violaceâ, quæ ob intimam sui compositionem

nonnullos suffocare, & extinguere valet reflexione aliquantulùm impeditâ, infringeretur, ac proindè ordinati motus secundum corporis necessitatem exerceri non possent: Tarantulæ etenim nervi optici, & fortasse Retinæ analoga tunica à lucis radiis violentèr, ac inordinatè cierentur, ni mucus ille obscurè violaceus effrenem, violentamque radiorum lateralitèr refractorum vim infringens tali non occurreret infortunio.

Integros oculos è venenosissimo extraxi Phalangio, appulo scilicet, qui tàm nudis oculis, quàm Microscopio armatis parvæ videbantur pilulæ, sed non perfectè sphæricæ, verùm ad instar lentis depressæ: videbantur etenim duo in illis aspectus, inæqualium sphærarum scilicet portiones; Quapropter Phalangiorum lenticulæ ad genus lentium utrinque, sed inæqualitèr convexarum reducuntur, exterior namquè sphærica illarum superficies apparet veluti perfectum hemisphærium, minoris tamen spherulæ: internum tamen quod magis depressum est majoris sphæræ portionem esse suadet ratio: nullis Tarãtularum oculi operiuntur palpebris; Lenticularum prædictarum substantia purissimam effingit crystallum. Superiores oculi ferè semper inferioribus sunt majores: oculi à Tarantula appula facili negotio possunt extra-

trahi: immò aliquos jam extractos penes me servo.

Haud parvi momenti res est, quod breviter hic notare necessarium existimo, Aures scilicet in nullis Phalangiorum speciebus observari, vel saltem particulas in eorum corpore Aurium vices supplentes: quùm prætereà exquisitissimam auditûs sensationem in Tarantulis experiamur, & præcipuè in Tarãtulâ appulâ: pueris etenim omnibus rusticis hujus Regionis mos est, si illam voluptatis causâ è latibulo revocare velint, culmo, seù herbaceâ fistulâ ori adaptatâ, sonitum, sibilumque Muscarum strepitui similem edunt, & confestim extrà latibuli fores Muscarum avida Tarantula se præsentat: quaderè dicẽdum Phalangia etsi auditûs organo careant, tantâ nihilominùs vigent fibræ eorum corpus componentes harmonicâ tensione, & sensu, ut à levi qualibet, tenuique, sed rudiuscula aeris percussione concussæ fibrillæ, exquisitissimam sensationem auditùs prorsùs analogam valeant excitare.

CAPUT IV.

Tarantulæ Forcipes, & Os.

INter omnes Tarantulæ partes, quarum unaquæque non tàm usûs, quàm structuræ gratiâ Eruditorum oculos curioso ut-

pluri-

plurimùm confilio ad fui allicit confiderationem foli forcipes peculiarem merentur admirationem, ob peculiares, eximiosque eorum ufus A A (Tab. 1. fig. 2. & 4.); Sunt etenim veluti Tarantulæ manus, quæ non folùm ori efcam apponunt, benè tamen & ad fe defendendum, hoftefque offendendos à Naturâ funt deftinati.

Eorum ftructura non in omnibus Phalangiorum fpeciebus eadem advertitur : ex innumeris tamen, reiteratifque obfervationibus fuper omnibus Phalangiorum fpeciebus ufquemodò à me cognitis, tres tantùm forcipum fpecies, & differentias depræhendi: Forcipes, , quibus major Phalangiorum turba munitur *proprii generis forcipes appellavi*. (Tab. 1. fig. 1. B B in Phalangiò appulo: Fig. 2., & 4. A B in Phalangeo argenteo majori) Aliquos verò ob figuram, & fimilitudinem cum Scorpionum forcipibus, vocavi *Forcipes fcorpioides fimplices* E B, E B [Tab. 2. fig. 2.], ad differentiam *Forcipum Scorpioidum anomalorum*, quos in Phalangio vigefimæ quintæ fpeciei nuper obfervavi, & delineavi C B A, C B A (Tab. 2. fig. 1. & 3.) hoc Phalangium longos habet pedes K K K &c. : domus habitat, corpus mediocris magnitudinis eft, & oblongiufculum : os immediatè fub anteriori frontis parte parvis Forcipibus circularitèr

tèr circumvallatum H i i i i.

Forcipes iſti, quos *anomalos* appello mirum in modum diſpoſiti ex varii generis Forcipibus cõflati obſervãtur. Totus igitur Forceps eſt Forceps A g E, qui ex duodecim componitur oſſibus, oſſe ſcilicet g oblongiuſculo, quod fronti articulatur, & cui duo ſphęrica oſſa ad inſtar pilulæ f h, ſucceſſivo tamen ordine, connectuntur; Superiori h articulantur tres parvi forcipes: A Forceps major, ad inſtar Forcipum ſcorpioidum figuram habet, & hunc quinque oſſa componunt. Os ſcilicet e, quod articulatur oſsi h: & ſuper e articulantur ſuccesſivè duo oſsa ſphe-rica d d, quorum ultimo adligatur caput forcipis ſcorpioidis A a. Alter forceps forcipibus proprii generis ſimilis eſt B b: os B naviculare oſsi ſphærico prædicto h articulatur: & os b unguiforme oſsi naviculari B conjungitur; Hic forceps ratione ſitùs in medio collocatus eſt; Alter qui minor eſt ex duobus conſtat oſsibus, ſphærico ſcilicet E, penduncolo n munito, cujus pedūnculi ope oſſi ſphærico h articulatione mobili adligatur: & altero oſſe unguiformi c quod oſſi ſphęrico E firmiter adhæret. Hi tres forcipuli velociter moventur, motumque exercent diductionis, & concurſûs: quùm verò concurrunt prædam abreptam arctiſſimo con-

ſtrictam

ſtrictam concurſûs vinculo, ori apponunt.

Pars ſub pectore G, quæ per literam L deſignatur uteri eſt apertura, & genitalium locus: M ſunt proceſſus mammiformes, filorum ſcilicet emiſſaria, qui in hoc Phalangio in extremâ, & imâ abdominis parte ſitum obtinuere. Hoc tamen notandum hìc eſt in omnibus Phalangiorum ſpeciebus antennas adnaſci, quibus hoc caret Phalangium; Quùm etenim Natura forcipibus tali arte, & induſtriâ formatis hoc Phalangium ditaverit, qui captandæ prędæ, & captæ arctiſſimè retinēdæ ex ſe ipſis abſque alio adminiculo ſatìs eſſe poſſint, fruſtrà antennas efficeret, ſuperfluas forſan autumata: prædæ namque fortiter retinendæ principaliſſimus antennarum eſt uſus. Experientia itidem ſancitum eſt Phalangia ſcorpioides forcipes habentes, vel anomalos innocua eſſe: quæ verò forcipibus proprii generis donantur, utplurimùm venenoſa. Rimulę m m ſunt duo Tarantulę hujus ventilabra, de quibus ſuo loco fuſiùs.

Forcipes tàm ſcorpioidei A C [Tab. 2. fig. 2.] quàm proprii generis B A (Tab. 1. fig. 2.) ſub fronte lateraliter articulantur ſicuti & predicti anomali A g, A g; & talis eſt articulatio, ut motus depreſſionis, elevationis, diductionis, & concurſûs facili negotio, & velociter poſsint exerceri. Duo

numero

numero sunt; Licet in Tarantula appula, seù Phalangio sub vigesima specie descripto, ultrà duos forcipes omnibus aliis communes duos alios minores juxtà ejus os observaverim m m (Tab. 1. fig. 7.) præter alios valdè minores cunctis Tarantularum speciebus communes, quos maxillas appello, ùt inferiùs; Et quamvis in omnibus Tarantularum speciebus cuncti prędicti forcipuli circà os circumsepti observentur, in Phalangio tamèn appulo hi duo prædicti Forcipes m m (Tab. 1. fig. 7.) superiorem oris partem occupant; Immò & majores quoque sunt similibus alterius speciei Tarantularum forcipulis. Forcipes tamen magni, & principaliores Phalangii appuli minores semper sunt magnis forcipibus Phalangii sphæroidis decimæ tertiæ speciei.

Notandum me forcipum structuram exploraturo, & præcipuè forcipum proprii generis Phalangio sphæroideo usum esse, quod sub decima tertia specie continetur, utpotè majoribus munito forcipibus, ac proindè observatu facilioribus, & opportunioribus. Structura tamèn forcipum proprii generis in cũctis Phalangiis, quæ talibus muniuntur forcipibus eadem prorsùs est. Immò inter varias forcipum species solos forcipes proprii generis accuratiori describam stylo; Hæc nàmque sola forcipum species venenosis mor-

F sibus

ſibus ſuppeditat inſtrumentum ; cæteri verò forcipes tàm ſcorpioides , quàm anomali Phalangiorum innocuorum ſunt partes , quibus ad prædam tantùm captandam , orique apponendam utuntur, quùm veneno prorsùs careant hæc Phalangia.

Forcipes itàque proprii generis duplici gaudent articulatione , atque hinc è duobus componitur oſſibus; Primum os B quod majus eſt in anteriori capitis parte , fronte ſcilicet ut jam diximus articulatur : Naviculæ in nonnullis ſpeciebus æmulatur figuram: quapropter naviculare os appello B q (Tab.1. fig. 2. & 4.) nàm ex parte , quâ invicem forcipes ſe ſe reſpiciunt rimulam ſat cavam habet ſecundum ſuam longitudinem excurrentem , denticulis quibuſdam utrinque circumvallatam f f f &c. (Tab. 1. fig. 2. & 4.) qui ſeptem numero ſunt , tres ſcilicet utrumque rimulæ labrum exornant , cui tamèn ad inſtar dentium non implantantur, ſed ejuſdem oſſis ſunt proceſſus : ex parte deindè ubi ejuſdem rimulæ concurrunt margines , alter obſervatur dens impar K ; itaùt ſeptem dentes in quolibet forcipe numerentur . Hoc os ex parte dentibus oppoſitâ q gybum eſt: & veluti omnia Phalangiorum oſſa cavum eſt, ſuoſque claudit muſculos ùt mox dicam: nàm in omnibus inſectis cruſtaceis ut Locu-

ſtis,

ſtis, Cicadis, Scarabęis, Muſcis, Culicibus, cæteriſque ſimilibus oſsa omnia fiſtuloſa ſunt, quorum cavitas muſculis ad illorum motum neceſſariis adimpletur; in hoc itaque importantiſſimo inſectorum ſtructuræ negotio maxima admiratur naturæ providentia: muſculi namque tàm exigui, quibus Culex, Muſca, Pulex, Pediculus, aliaque hoc genus inſecta muniri debuerunt, faciliter aëri expoſiti exiccarentur, motibusque ad vitam neceſſariis obeundis illicò inepti evaderent, ſi extra oſſa ſitum obtinuiſſent.

Huic oſſi naviculari aliud os articulatur, quod ob ſimilitudinem quam cum felium unguibus habet os unguiforme appello A (Tab. 1. fig. 2. & 4.) ejus magnitudo longitudinem, & latitudinē rimulæ oſſis navicularis non ſuperat, intra quam naturali ſuo ſitu abſconditur: exceptis Phalangio ricinoide duodecimæ, & vigeſimæ tertiæ ſpeciei, quæ hoc os longiſſimum obtinuere. Hujus oſſis uſus duplex eſt: maſticationis, & defenſionis, vel offenſionis: primo conſulit uſui dùm clauditur, eſcam ſcilicet inter rimam oſſis navicularis ſtringit craſsèque conterit; offenſionis, vel defenſionis munus adimplet his tantùm oſſibus unguiformibus Tarantula: his etenim utitur ad vulnerandum, ſuumque inflicto vulneri communicandum virus: acutiſſimi namque ſunt,

maximique roboris, si eorum moles, ac fragilitas considerentur.

Musculorum ope suos motus forcipes patrant, qui intrà suorum ossium cavitates absconduntur, ut dictum est, nàm fistulosa sunt quamplurima Phalangiorum ossicula: Forcipes itaque octo donantur musculorum paribus, unusquisque scilicet octo: quorum quatuor sunt ossis navicularis proprii, & quatuor ossis unguiformis. Musculorum ossis navicularis, qui duo paria sunt, par exteriùs musculos diducentes appello, nàm forcipes diducunt, ad extrà scilicet trahunt: alterum par, & interius, musculos adducentes voco, nàm dùm hoc musculorum par contrahitur duo ossa navicularia adinvicem accedùnt, & concurrunt. Musculi ossis unguiformis, qui duo paria quoque sunt, ut supra dictum est eamdem merentur appellationem: diducens scilicet par, quod os unguiforme erigit, & adducens, quod se contrahendo, intrà rimulam ossis navicularis os unguiforme cogit, & abscondit; Hoc scilicet mechanismo suos motus forcipes obeunt: ut diducentes naviculares os naviculare diducant: idem quoque musculis diducentibus ossis unguiformis eodem tempore patrantibus, ejusque opitulantur erectioni. Adducentes musculi forcipes ad interiora trahunt, eâ scilicet ratione,

ut

ut unum navicularis offis par adducens hoc os contrahat; alterum par adducens offis unguiformis ejusdem internæ basi implantatur, itàut se fortitèr convellendo offa unguiformia ad interiora plùs minùs trahat juxà usûs necessitatem: non nihil adjuvante sat laxa versùs interiora articulatione offis unguiformis cum naviculari.

Horum motuum auxilio forcipes ad escam captandam diducti, ad interiora se contrahentes, illam validè stringunt, ac prohindè conterunt: orique aptantes, escæ liquidis priùs exuctis, exuccam tandèm escam aridam, & exiccatam si alteriùs alimenti sit defectus, & comedunt, & vorant, ùt pluries in Tarantulis appulis constanti periculo observavimus.

Veneni emissaria forcipes esse olim putabam, sic cùm vulgo Medicorum, populari fide ductus, nullo prorsùs tentato periculo inconsultò considerans; horum verò structurâ sedulius consideratâ forcipes fistulosa sunt officula musculis plena, ut autopsia duce manifestum est; offis unguiformis mucro nullo donatur foramine, nec ullibi crustosa hujus offis substantia vel minimos porulos ostendit, sicut pluries microscopio duce statutum est: per internam substantiam ductus nulli: insertio, articulatio, situs, structu-

ſtructura præcipuus forcipum uſus, cæteraq; omnia, & innumera in illis explorata pericula ab antiquo errore me penitùs abduxerunt, & de Tarantulæ veneno aliter argumentari debere cogitavi: ſicuti & de ejuſdē officina; Forcipes enim veneni officina nequeunt eſſe, in eorum namque cavitatibus nil aliud niſi ſola muſculorum ſubſtantia obſervatur, quibus tota eorum cavitas impletur: organa quidem muſculi ſunt ad ſecernendum ineptiſſima, quod Lippis, Tonſoribuſque manifeſto conſtat, quùm alius ſit, ac notiſſimus eorumdem uſus; Nec aliundè genitum venenum per illorum cavitatem trāſire poteſt; namque os unguiforme A (Tab. 1. fig. 4.] ex parte h h articulatur oſſi naviculari B: hoc oſſi frontis mediis ligamentis, neceſſariisque omnibus requiſitis particulis ad motus exercendos opportunis: ductu nullo in oſſium horum ſubſtantia, aut axtremitatibus g apparente, propriè tamen, & ſecundùm rationem impoſſibili: hæc namque glādularum unica eſt prærogativa, in quibus pręcipua ſunt organa propriis obeundis muneribus apta, & opportuna; Quùm forcipes itaque nec glandulas intrà ſuas cavitates poſſint continere, nec ſupra glandulas inſidere, & proindè nec ullos ductus intrà eorum ſubſtantiam admittere, nec veneni officina, nec
ejuſ-

ejuſdem emiſſaria poterunt eſſe licèt non negaverim forcipum oſſa unguiformia veneno madida univerſam totius negotii aleam vertere: ut inferiùs, quùm de Tarantulæ veneno, ejuſque officinâ fuſiùs exponam; immò manifeſtiſſimè demonſtrabo quomodo Tarantulæ venenum in vulnuſculum à forcipibus inflictum, & à Tarantula jam eructatum inſinuari valeat.

Forcipum ope eſcam compreſſam, craſſoque modo contritam in duplici navicularis oſſis dentium ordine, f f f f f K [Tab. 1. fig. 4.] ori apponit, quū diductis maxillis m m n n, (Tab. 1. fig. 7.) quæ ſunt circa os veluti parvi forcipes, ultima commanducatione jam peracta à Tarantula commanducata eſca deglutitur.

Phalangiorum itaque os quatuor, ſex, octo, & quandoque pluribus circumvallatur maxillis in orbem circa oris aperturam diſpoſitis m m n n, ut paulò ſuperiùs, (Tab. 1. fig. 4.) ejuſque limbo veluti perpendicularitèr adhærent, aptiſque motibus patrandis concinnatæ ſunt, ut commanducationis munus poſſint exercere; A' qua maxillarum exiſtentia facili conjectura argumentum eruitur Phalangià non tantùm ſuctione alimentum ſibi patrare, ſed ſolidis quoquè cibis veſci, ac proindè prædictæ maxillæ circà os ut jam

dictum

dictum est in orbem dispositæ à Natura Tarantulis datę fuere.

Quamlibet ex his maxillis duo componunt ossa: majus juxtà oris aperturam tali articulatione implantatur, ut motum diductionis, & concursûs facillimè possit peragere; Os minus, quod dens ex officio vocari posset, majori articulatur tali connexione, ut vel nullum, vel obscurum motum edere possit: aliqui maxillarum dentes forcipum proprii generis ęmulantur figuram, aliqui tamèn acuti non sunt, sed incisoriorum formam exhibent, & aliquantulum, sed inæqualitèr ad oram serrati.

Circà Phalangiorum ferè omnium os, & præcipuè Tarantulæ appulæ quasi semper humorem observavi tincturæ Caffè colorem ęmulantem, oleique consistentiæ, qui non impropriè *Saliva* dici meretur; Immò irritata Tarantula magnam illius humoris copiam eructare pluries expertus sum, quo forcipes ori adaptatos continuò irrorabat: ùt scilicet morsu Insectorum cutim faciliori argumento possint penetrare, hominesque, si fortuito quodam eventu vulnerent, eorum quoquè cutim faciliùs lædere valerent; Quamobrem veluti importunum aliquod objectum offensura vehementèr illos erigit.

Os itaquè parva est, & rotunda aper-
tura

tura A (Tab. 2. fig. 4.) ex quâ veluti inteſtinulum continuatur per totam thoracis longitudinem CCCC; quod quùm frenum, ſeù unionem thoracis cum abdomine M pertingerit, versùs dorſum pergit F (Tab. 2. fig. 7.) & rectâ per ſuperiorem abdominis partem excurrens E E o, in inferiori parte o ampliatur, & proceſſui illi mammiformi, ubi Anus inſculptus eſt implantatur: partem prædictam o ſemper fęcibus onuſtam inveni: quarè inteſtinuli hujus partem CCCC in quartâ figurâ æſophagum voco: & partem E E o, ut in figura 7. propriè inteſtinum; Nec ullam obſervare potui cavitatem, majoremque circa inteſtinuli hujus medium dilatationem pro Tarantulæ ventriculo excipiendam, ſed tantùm juxtà finem ubi inteſtini recti locus eſt, dilatabatur, ut ſatis dictum puto.

Ludovicus Valletta Appulus Luceriâ ortus, Monachus Cœleſtinus in ſuo Tractatu de Phalangio Appulo ait ſe in Tarantulæ ore inveniſſe aculeum fiſtulâ excavatum ad inſtar proboſcidis Muſcæ, cujus ope morſum venenoſum infigit: iſtius acûs venenata acie ex proboſcide evaginatæ inſectorum corpora vulnerans, eorum ſuccos Proboſcide pro ſuo alimento exugit, ut videre eſt lib. 1 cap. 5. ſui prædicti Tractatus; Et lib. 1. cap. 9. ſic ait: *ità prorsùs de Phalangio dicendum eſt; quod eodem*

G tem-

temporis puncto, quo ungulæ irrumpunt in cutem, ex ore aculeum fistulà excavatum evaginat, ipsumque in cute infigendo, emittit virus.

Plurima periclitatus sum experimenta, ut certus de hac re fierem: sed quùm varias dissecuissem Phalangiorum species, incredibilemque Phalangiorum numerum: & præcipuè Phalangia Appula, itaut à me ad hunc explorandum aculeum plùs quam quingenta variis temporibus dissecta sint Phalangia; & quùm minutissimas oris partes considerassem, & nudis oculis, & microscopio armatis, nec Proboscidem, neque aculeum observare mihi fuit fors: licet internas etiam oris, & pectoris observaverim particulas. Quapropter forcipes, quos veluti innocuos Valletta considerabat, & ad nil aliud inservire, nisi ad escam captandam, orique apponendam, nos venenosissimos sumus experti, non quod forcipes ex se venenosi sint, sed quia veneno irrorati venenatum morsu excitent vulnusculum, sicuti mox dicemus quùm de Tarantulæ veneno.

Puto intereà Ludovicum Valletta eximium alioquin Virum forsan à Pauli Æginetæ lectione deceptum esse, nam Ægineta lib. 5. cap. 6. ait: *percussis à Phalangio locus quidem ipso quasi ab impacto aculeo rubescit*; ac proindè aculeum Phalangia habere suspicatus, illud

illud ſuo Phalangio Appulo conceſſit: vel forſan fiſtulam illam, quam *ciſternæ ſalivalis ductum eſſe* comperi non valdè attentè conſiderans, *corpuſque linoſpermoideum*, de quibus paulò inferiùs, pro Tarantulæ aculeo ſumpſit: nam reverà in Tarantula Appula exiguæ valdè ſunt iſtæ particulæ, ſecùs in ſphæroide, in qua ſatis patent. Nec particula illa, quam *ciſternam ſalivalem* voco cũ ſuo ſalivali ductu poterunt pro aculei receptaculo haberi, neque *corpus linoſpermoideum* veluti aculei baſis, & radix poterit unquàm conſiderari; nàm diligentiſſimâ autopſiâ duce, pluries à me facto periculo hujus ciſternæ ſitus repugnat, nam intrà corpus pulmoniforme aſſervatur nullis munita muſculis, quibus tàm aculeus, quàm vagina indigerent ad áculeum è fiſtula evaginandum, ut Ludovicus Valletta voluit. Ratione demum texturæ, ſeù particularum prædictarum conformationis, ductu ſalivali pro vaginâ habito, & corpore linoſpermoideo forſan pro aculei baſi, & radice: quùm corpus linoſpermoideum ſubſtantiæ ſit duriuſculæ, & ſatis ſolidæ, ut inferiùs cap. 6. fuſiùs, non poterit hoc corpus intra ſui ſubſtantiam aculeum abſcondere, quùm nullimodè linoſpermoidei corporis ſubſtantia in aculeum continuetur: ut ex ejuſdem anatome ſatis conſtat, nec ul-

lus intrà vaginam prædictam, ductum scilicet salivalem aculeus observatur: nec in cæteris particulis, quæ juxtà Tarantulæ os sitæ sunt; Quaderè de hujus aculei vallettani existentia non præter rationem dubitans, reiteratæ demùm observationes à Tarantulæ corpusculo penitùs exulare fecerunt.

Falsum quoque observavi Tarantulas à sua esca alimentum solummodo exugere, & præcipuè Phalangium Appulum, quod, & exugit, & devorat Insecta, quæ venatur, quod forsan non observaverat Valletta. Novem etenim veras Tarantulas Appulas in ampulla vitrea clausi, unicumque alterius speciei Phalangium, magnitudine quidem Tarantulam Appulam adæquans sub vigesima prima specie contentum: post bihorium Tarantulæ omnes Appulæ unanimi veluti consensu Phalangium illud alterius speciei hostiliter aggressæ, & interfecerunt, & penitùs devorarunt. Quinque postea dierum spatio se invicem perimentes, occisæ cadaver devorabant; Fortiori demum superstite non solùm in singulari certamine mactatæ Tarantulæ cadaver devoravit, sed omnium cadaverum reliquias usque ad pedum extremitates, suique generis ossa, veluti gratissimum ferculum mãducavit. Hinc tandem anatomes patibulo damnari, & decretum, & actum.

Stru-

Structuræ admodùm peculiaris Phalangium obſervavi : Scorpioidem ſcilicet innocuum longipedem , & binoculum , quod ſub ſexta ſpecie comprenditur : forcipes hoc Phalangium obtinuit ad inſtar chelarum ſcorpionis, quos ideò ſcorpioides appello ; ſuprà os tali diſtantiâ ſiti ſunt , ut eorum conſiderata longitudine, commodè eſcam ori poſſint ſuppeditare ; A' quatuor oſſibus hi forcipes compoſiti obſervantur. (Tab. 2. fig. 2.) Primum os A ſub capite articulatum breve eſt , & fiſtuloſum , quod ſecundo conjungitur B adhùc fiſtuloſo , ſed longiori ; huic ſecundo duo artitulantur oſſicula C E , quorum figura , & connexione conſiderata Caput avis exactè exprimunt , seù forcipum ſcorpionum Caput ; Quapropter maxillarum merentur appellationem , quarùm ſuperior C mobilis eſt : inferior verò E immobilis : ſuperior tamen inferiore m. jor eſt . Utraque roſtrata eſt , roſtro etenim gaudent avium quorundam roſtri ęmulo . Superior maxilla utrinque in parte ſcilicet illa , in qua oculi ſitum obtinere deberent duo habet puncta d d , quæ oculos effingunt , oculi tamen non ſunt : ſuperiùs Roſtrum interiùs excavatum, canalem efformat , qui utrinque in labiis , seù canaliculi marginibus dentes habet ejuſdem ſuæmet ſubſtantiæ proceſsus F , & ſex numerantur :

tres

tres ſcilicet à dexteris, totidemque à ſiniſtris; & hujus roſtri rimula, seù canalis inferiorem admittit maxillam E, quæ ut ſuperior acuta quoque eſt, ſed paulò brevior, nullâque excavatur rimâ, licet fiſtuloſa quoque ſit, ut omnibus ſimilium inſectorum oſſibus mos eſt: tribus tantùm hæc maxilla dentibus munitur, atque quùm roſtrum clauditur, ſola hujus maxillæ dentata pars intrà ſuperioris rimam excipitur. Inter omnes Tarantulas hæc ſola duobus tantùm exornatur oculis in ſuperiori frontis parte D ſitis G G, ut obſervari poteſt in prædictâ figurâ.

CAPUT V.

De Tarantulæ Pedibus, & Antennis.

CUjuſcumque ſpeciei obſerventur Phalangia, nullam prorsùs circà Pedum numerum differentiam deprehendi manifeſtum eſt: tàm minuta etenim, ac ſedulâ non indigent autopſiâ: octo nàmque pedibus donantur, utrinque circà thoracem quatuor, quorum quilibet ex quinque majoribus oſſibus componitur, ut in Phalangio maximo argẽteo decimæ tertiæ ſpeciei, in quo quilibet pes quatuor habet oſſa m.jora h i k l: (Tab. 1. fig. 2.) primum os h quod immediatè thoraci adnectitur breviſſimum eſt, licet diame-

tri

tri majoris: cui successivo ordine adnectunctur ossa i k l, & ultimo loco quintum os m n extremum pedem constituit: licet in quibusdam speciebus duo sint ossicula, strictiori tamen articulatione cohærentia; Hujus ultimi ossiculi extremitatem duæ, vel tres muniunt unguiculæ acutæ, & aduncæ o o, ut facilè per lęvigatissimas, & perpendiculares spatiari possint parietum, & arborum superficies, non nihil adjuvantibus quibusdam corpusculis, veluti spongiosis calcaneiformibus juxtà ungues sitis, scabræ superficiei, lęvique glutine irroratis, quod microscopii ope observatur.

Ultimum os m n in Phalangio binoculo scorpioide de quo supra (Tab. 2. fig. 2.) innumeris brevissimisque ossiculis componitur sat laxâ tamèn articulatione minutissima ista ossicula invicem connectuntur, extremamque pedis partem constituunt. Curiositate motus, microscopio duce ossicula prædicta numerare volui, atque septuaginta quatuor in unoquoque pede exactissimo examine adinveni; Quapropter curiosissimus in istius Phalangii pedum conformatione observatur Naturæ lusus, nàm brevissimorum ossium, laxarumque totidem articulationum beneficio, ità spiraliter circà herbas contorquentur, ut vitis, momordicę, similiumque herbarum capreolos æmulen-

mulentur. Pedum istius Phalangii longitudo duos, & semis transversos digitos adæquat.

Pedum ossa fistulosa sunt, quorum fistulosas cavitates musculi adimplent pedum motibus inservientes, ut simili observatione videre est in cancrorum, & Astacum chelis, pedibusque, similique argumento de musculis pedum Tarantulæ, muscarum, culicum, similiumque insectorum discurrendum: manifestissimè in Tarantula patent pedum musculi, sed primi tantum pedum officuli, qui in internâ ossis dorsi superficie sub pleurâ adligantur, ut observari possunt in fig. 4. Tab. 2. F F F in quâ figurâ, ut manifestè isti musculi pateant corporis pulmoniformis medietas nō observatur, altera tamèn medietate B integrâ remanente; sed de hoc cap. subsequente.

Juxtà pedes anteriores propè collum [impropriè tamèn dictum] duo veluti parvi pedes, cæteris tamèn pedibus multò breviores implantantur, qui Antennæ, seù cornua dicuntur C C, ex duobus, & quandoque pluribus composita ossibus [Tab. 1. fig. 2.] ad escam captandam non nihil coadjuvantia; Nullimodè tamèn ad progrediendum inserviunt contrà Bellonium, aliosque, ut pluries observavi: numquam etenim Antennas istas plano per quod progrediuntur applicant, immò ferè semper versùs superiora elevant, &

præ-

præcipuè escam captaturæ, quâ captâ eæ substinendæ forcipibus auxilio sunt.

Phalangium suis incumbens staminibus fortuitò quadam die meam ad se curiositatem traxit, ob speciales quasdam gesticulationes: ordinatìm nàmque, ac successivè singulas suorum pedum extremitates ori applicans, intrà forcipes comprimendo, talitèr trahebat, ùt fortitèr pedum distenderet extremitates: motu quodam peculiari omnes quoque maxillas agitabat, ex quâ agitatione saliva non pauca ex ore eructabatur, quâ extremi pedes irrigabantur. Talibus gesticulationibus, talique illius Phalangii non inconcinnâ operatione sedulò à me consideratâ ad aliam conjecturam meum animum præsentanea illa non duxit occasio, nisi ad maximæ cum nostris pandiculationibus analogiæ considerationem: prętèr salivæ ulteriorem utilitatem, quæ pedes assiduò, & tali pacto irrorando impediebat, ne nimiùm exiccarentur à calore solis, ventisque siccis: nàm secùs nimis arescentes, ad motus obeundos inepti prorsùs evaderent.

CAPUT VI.

De Tarantulæ Thorace, Parenchymate pulmoniformi, & Capsulâ Salivali.

TAm superiorem quàm inferiorem Thoracis partem: seu posteriorem, & ante-

riorem, *Thoracem* propriè vocamus: peculiari verò vocabulo superiorem partem *dorsum* inferiorem, seù anteriorem *pectus* dicimus, quod sicuti, & dorsum unico tantùm osse constitui superius diximus in capite 3.: ità quoque pectoris os unico tantummodò osse constat, à variis tamen strijs transversalibus H H H H &c. [Tab. 1. fig. 2.] veluti sulcatum, & distinctum: itaùt illæ striæ quasi tot obscurę, & obliteratæ credantur illius ossis articulationes: & forsan in Phalangiorum tenellis fætibus pectoris os ex totidem componi ossibus, in quot particulas in jàm adultis à striis illis, seù sulcis distinguitur rationi est valdè consentaneum.

Ejus figura non in omnibus eadem est, in quibusdam enim oblongior, in aliis rotũdior observatur: undequaque circumvallatur pedibus, qui è lateralibus Thoracis partibus prodeũt ex intercapedinibus, seu spatiis à connexione ossis pectoris, & dorsi processibus ortis, eodemque argumento, & forcipes, & Antennæ, quæ in quibusdam Phalangiorum speciebus tali industriâ à naturâ & conformatæ, & sitæ sunt, ut forcipes omninò cooperiant, quasi offensiva Tarantularum arma malitiosè celantes.

Thoracis cavitatem ex parte anteriori adimplet parenchyma pulmoniforme cellulosæ

losæ, & glandulosæ substantiæ, ut microscopium ostendebat: ex vesiculis namque videbatur conflatum, innumerisque minutissimis, & solidiusculis particulis ad instar glandularum, quæ sibi invicem adærebant. Viscus hoc *parenchyma pulmoniforme* appello, ex eo quia ratione texturæ, immò & sitûs pulmonum repræsentat substantiam, & locus, quem pulmones in quamplurimis animalibus occupant, Thoracem scilicet, ab hoc viscere *pulmoniformi* à me appellato adimpletur; Nam ratione muneris, ut mox palàm faciam, pulmonum officium non exercet.

Corporis pulmoniformis medium capsula, seù vesicula quædam occupat BC (Tab. 1. fig. 5.) sed sinixtrorsùm aliquantulùm inclinans: Duriusculæ substantiæ est inter membranam, & cartilaginem mediæ, quæ nonnullis adjuvantibus filamentis ramosis, & forsan vasculis eeee, Parenchymati pulmoniformi adligatur; hæc vesicula superiori sui parte in tenuem elongatur fistulam, quam *ductum salivalem* voco BA. Ductus hic fistulosus sinixtram thoracis partem excurrens usque ad os continuatur, ubi patulo hiat oscillo, à quo pluries explorato experimento humor exprimebatur, licet in minimâ quantitate, salivæ, quæ sepè sępiùs circà majorum Tarantularum os invenitur, simillimus. Qua-

H 2 propter

propter rationi erit consentaneum hanc fistulam *ductum salivalem* esse: & capsulam, à quâ ortum ducit, & cujus est continuatio, salivæ esse officinam, & receptaculum: quaderè, ut lubet, hanc capsulam *receptaculum salivale*, *cisternam salivalem*, *aut capsulam salivalem* voco, quæ à Parenchymatis pulmoniformis vesiculis, aut glandulis s s s s s non pauca recipit vascula e e e e, forsan salivæ materiam suppeditantia, quæ per ductum fistulosum salivalem per os suo tempore pro Phalangii lubitu eructatur.

Capsulæ salivalis figura ovata est B C (Tab. 1. fig. 6.) in quâ capsulâ salivali à Tarãtula, seu Phalangio Appulo jam extractâ, intùs quidem cavâ, continetur corpusculum quoddam parvum jujubini coloris, & duriusculum F F, oblongum, & seminis lini figuram æmulans, ac proindè *Corpus linospermoiden* voco, internæ superficiei cisternę salivalis ramusculorum quorundam beneficio gggg adhærens, quod si digitis confricetur rudiori exponendum examini, per longum semper finditur in varias, plurimasque laminulas, tubulosque, qui ità invicem adhęrent, ut densissimum Corpus illud componant: quapropter puto corpus linospermoideum ex plurimis tubulis rectis, compactiori connexione sibi invicem adhærentibus componi: & forsan

forſan ſubtiliores, & ſolidiores, acutæ, & oblongæ ſuæ ſalivæ particulæ anguſtiſſimos linoſpermoidei corporis tubulos pervadentes ſolidiſſimæ evadunt, in ſpicula efformantur, & volatiliſſimam acquirunt diatheſin. Anguſtiſſima etenim ſpatiola peragrantes, comprimuntur quædam ſalivalium particularum principia, ex quorum compreſſione compactiores reſultant particulæ, & per cōſequens ſolidiſſimam induere debent naturam; Undè è corpore linoſpermoideo ità conformatæ iſtæ particulæ exeuntes, intrà capſulam è tubulis prædictis eructantur, & cum totâ ſalivâ miſcentur: quaderè facili argumento eruere poſſumus totam ſalivæ Tarantulinæ ſubſtantiam his ſolidiſſimis, volatilibusque particulis quammaximè ſcatere.

Pulmoniforme Parenchyma ſalivæ forſan pręparat elementa, quæ per vaſcula e e e e in ciſternæ ſalivalis membranulas irruunt, ubi ulteriorem acquirentia perfectionem, ſub ſalivæ peculiaris forma intrà ſuam cavitatem eructantur. Superiori ex parte dorſo, anteriori, & inferiori (ratione ſitûs) oſſi pectoris adligatur: immò ſecundùm totam ejus ſuperficiem univerſo adnectitur Thoraci, cujus internæ ſuperficiei tenuis adhæret membrana pleuræ analoga, quæ immediatè Thoracem veſtit, cui fortiter adnectitur; hujus mem-

branæ peculiaris uſus eſt, pectus, & dorſum firmare: ſuper hâc membranâ primi oſſis pedum muſculi FFFF immediatè adhærent, totumque dorſum occupant (Tab. 2. fig. 4.) ut ſuperius dictum eſt.

CAPUT VII.

De Phalangiorum Appendicibus mammiformibus, ubi de Ano.

INfimum ſub abdomine locum ubi ut plurimùm foramen ad excrementorum exitum Natura ſculpſit, quinque ſenſibiles occupant Appendices GGGFS (Tab. 1. fig. 2.) quarum quamlibet à formâ mammiformem appello: & circà ſingularum radicem nonnullæ minores appendices interſtitia majorum occupantes, tenuiſſimę tamèn, ac valdè teretes obſervantur, & non tantùm duæ, ut ſcribit Reaumur in Memorijs Academiæ Regiæ Pariſienſis Ann. 1710: immò quinque majores papillulæ à Domino Bon deſcriptæ in Memor. Academ. R. S. P. Ann. 1709. circà Phalangiorum anum exiſtentes, quatuor à me in omnibus Phalangiorum ſpeciebus inventæ ſemper, & conſtantiſſimè fuere; Anus namque à papillulis illis non circumdatur, ſed in quintæ Domini Bon papillulę apice, quæ infimum inter papillulas locum

obti-

obtinet, Anus insculptus est.

Tali pacto mammiformes appendices sitæ sunt, ut naturali situ illarum apices se mutuo tangant; Has appendices Phalangia pro suo lubitu vel omnes simul, vel singulas quamcitissimè movent: quaderè ad tot motus obeundos, necessarios musculos Phalangijs omnibus Natura provida largita est: quos musculos Ego primus omnium inveni, & delineavi, à musculis tamen à Domino Bon descriptis valdè diversos, quorum principia, progressus, & insertiones inferiùs suo loco; & licet sphincterem musculum à Domino Bon in unâquaque papillulâ observatum nũquàm invenerim, quùm rationi consentaneum sit, cedo fidem: quamvis suspicari jurè possem eximium illum Virum sphincterem musculũ in quintâ tantùm appendice, ubi anus insculptus est, observavisse: & quùm ex eodem constet quintam hanc appendicem pro una ex appendicibus staminosis quoque consideravisse, mirum non est si in hac tantùm, in qua Anus situs est sphincterem Ani musculum inveniens, omnes Appẽdices prædictas sphinctere dotatas esse asseruerit.

Una ex Appendicibus S (Tab. 1. fig. 2. & 7.) quæ infimum obtinuit locum, major est ceteris: reliquæ quatuor inter se æquales, sed prædicta infima appendice paulò minores;

Ceteræ

Cæteræ verò appendiculæ, quæ inter majorum interſtitia ſitę ſunt, minimę, & varię ſunt magnitudinis. In Tarantula tamen Appula hæc quinta appendix S cæteris quatuor humilior, ac minor eſt (Tab. 1. fig. 7.)

Ex omnibus prędictis Appendicibus (quinta tantum excepta S) fila emittunt Phalangia ad ſuas telas texendas inſervientia. Quapropter microſcopio duce Appendices illas curioſus conſiderans, in earum Apicibus parvula, ac plura ſe oſtenderunt foramina, è quibus viſcoſus prodibat humor, cui quùm ſtyli cuſpidem admoverem, illi adhærebat: itàut ſtylo remoto, humor ille in ſtamina converſus elongabatur ſtatim ac liberiori exponebatur aëri; Quarè quod olim dubitabam circà Phalangii filorum generationem certò certiùs deprehendi. Ne tamen ulla mihi dubitandi remaneret occaſio, tres ex quatuor illis Appendicibus G G G, acutis, & tenuibus forficulis amputavi, quæ ſubſtantiâ molli, viſcoſâ, & albicante plenæ erant, cui ſtylo admoto, & diligenter remoto, ſubſtantia illa viſcoſa in ſtamina G L (Tab. 1. fig. 2) convertebatur, eodem ferè modo, ac in integrâ F experiebar,

Prædictas igitur Appendices filorum eſſe emiſſaria in dubium non revocatur. Immò ſingulæ varia claudunt vaſcula verſùs ſuos

Api-

Apices hiantia, quæ ſunt internorum vaſculorum materiam ſtaminoſam conſervantium elongationes, ramificationes, & termini: immò veluti illius materiæ ſtaminoſæ vaſa excretoria debent conſiderari.

Quintæ Appendicis S uſum detegere nõ poteram: amputata etenim, ab aliis valdè diverſam mihi oſtendebat texturam; ſtyloque illi admoto, ac ut ſuprà remoto, nequè in ſtamina convertebatur humor, neque viſcoſus comprehendebatur: ac proindè plùs quàm centum varii generis ad hujus Appendicis uſum detegendum diſſecui araneos: fortuitò excrementi fruſtulum araneus ſectioni paratus, ſpontè ex illius Appendicis apice, parvoque inſculpto foramine excrevit: & ità foramen, ejuſque uſum liberaliſſimâ, ſed ſordidiſſimâ ſupèr cęteris antè illum diſſectis araneis munificentiâ demonſtravit: in Appendice ſcilicèt illâ ejus *Anum* inſculptum eſſe, è quo fęces à Tarantulis omnibus excernuntur patefacere voluit.

Ex prædictis deducitur, quarè Phalangia vitris quantumlibet lęvigatis, àc expolitis tàm facilè ſua applicent ſtamina: ob nimiam ſcilicet materiæ ſtaminoſæ viſcoſitatem perpolitæ ſuperficiei applicabilem: quod Franciſcus Redi ſolertiſſimus ille Naturæ indagator in ſuis ſuper inſectis experimentis admiratus eſt.

In nonnullis Phalangiis Appendices mammiformes ſitum variant, nàm in Phalangio ſphęroide argenteo decimæ tertię ſpeciei ſitæ ſunt in medio quaſi regionis hypogaſtricæ, ùt videri poteſt in fig. 2, Tab 1. . In Phalangio verò appulo vigeſimæ ſpeciei, paulò inferiùs, ut oſtendit fig. 7. Tab. 1. : In Phalangiis portarum rimas habitantibus in acutiori, & intimâ ventris parte, ſicut & in Phalangio vigeſimæ quintæ ſpeciei, ut in Tab. 2. fig. 1 M: immò in hoc Phalangio longiſſimi ſunt hi proceſſus, ſeù mammiformes Appendices, cylindrici, non verò pyramidati, ut in nonnullis aliis obſervantur.

Si quæras ad quid Appendicum mammiformium multiplicitas Phalangiis inſerviat, ratio in promptu eſt; non ſemper enim ejuſdem craſſitiei debent eſſe ſtamina, ſed juxtà neceſſitatem, nunc craſſiora, nunc tenujora illa parare, ac elaborare opus habent, ut inferiùs.

Varias, variarumque ſpecierum tractans Tarantulas, vidi ex omnibus prędictis Appendicibus ſimul ſe moventibus gluten illud ſtaminoſum expreſſum, corporique alicui applicitum craſſiora fila producere; Tenujora verò, ac tenuiſſima ſi ex unâ, vel pluribus Appendicibus emungebatur: atque extremè tenuiſſima, ſi ex unius Appendicis non plùs

quàm

quàm ex uno tantùm porulo ſtaminoſa exprimebatur materia : quæ actio muſculorum ope , qui huic obeundo muneri ſunt dicati perficitur : de quibus inferiùs diſſeremus.

CAPUT VIII.

De Staminoſi Glutinis Receptaculis.

APerto tàm Tarantulæ Appulæ , quàm nonnullorum variæ ſpeciei Phalangiorum abdomine, cujus cavitatem pro majori parte occupant *ovaria* m m m m (Tab. 1. fig 5.) ex parte anteriori : & *Corpus hepatiforme* , & glanduloſum C C C ex parte poſteriori (Tab. 2. fig. 7) cui videbantur *Receptacula ſtaminoſa* implantari , quæ ex anteriori, & inferiori *Corporis hepatiformis* parte originem trahunt . Vaſcula hæc ſuis variis contorſionibus , ſitu , & figurâ inteſtina repræſentant i i i i i (Tab. 1. fig. 5.) itàut primâ facie Tarantulæ inteſtina eſſe credantur : ſed illorum principium , ac terminum mihi indaganti , profectò ſedulior Autopſia eorum Naturam, uſumque maniſeſtiſſimè detexit : Unicum etenim non habēt principium, neque ſimplicia, & ſingularia ſunt vaſcula , nàm ex variis corporis hepatiformis partibus varia prodeuntia horum vaſculorum principia, in unicum, majuſque vaſculum coëunt , quod tandem in

Appendicum mammiformium radicibus implãtatur: quaderè omnia hæc vascula ex corpore hepatiformi prodeuntia, similique progredientia modo, & similitèr prædictarum Appendicum radicibus insita, non solùm ùt materiæ staminosæ receptacula considerantur, verùm etiam veluti glandularum Corporis hepatiformis vasa excretoria.

Corpus hepatiforme EEEE, duos habet lobos sinistrum scilicet, & dexterum: licet unum tantùm in fig. 7. Tab. 2. repræsentetur C C C sinistrum scilicet: dexter namq; lobus musculis quibusdam coopertus, de quibus infrà, observari in figurâ non potest. Corpus hoc hepatiforme posteriorem ventris partem totam suo tantùm complet parenchymate: immò omnium Tarantulæ viscerum majus est.

Hujus corporis hepatiformis E E E usus (Tab. 2. fig. 4.) ille est, ut materiam staminosam vasculis o o o &c. suppeditet; Glandulosum namque hoc corpus pulmoniforme esse, immò infinitarum ferè glandularum cõgeriem, microscopium demonstrat: meam confirmante sententiam vasculorum prædictorum o o o insertione in visceris prædicti substantiam, in quâ suas habet radices: ut mox clariùs.

Intimiùs hæc vascula o o o &c. examinans

nans importuniori motus curiositate, nullum Appendici h (Tab. 1. fig. 5.) cui anus insculptus est, inserebatur; Quapropter intestinula illa sedulius examinare ex animo motus sum; Ex quibus aliqua tenui stylo extraxi, & suprà tabulam anatomicam locavi: non omnia ejusdem erant longitudinis: at longius, solutis contorsionibus duos transversos digitos ęquabat: cujus intestinuli altero capite tabulæ anatomicæ affixo, alioque termino styli cuspidi applicato, diligenter, ac leviter manû ducebam: quùm illicò adverti glutine quodam plenum esse illud vasculum: immò ulterius stylum ducens, gluten illud statim, ac aëri exponebatur in tenuissima abibat stamina, itàut totum intestinulum in fila uno tractu resolutum, ad quinque ferè cubitos fuerit protensum, ejusdem crassitiei, & substantiæ staminum, quibus hæc Phalangia telas componunt: quod experimentum pluries mihi periclitanti, eadem observare constanti periculo fors dedit; Ac proindè gluten illud appellavi *staminosum Gluten*, seù *Materiam staminosam*: & prædicta intestinula, *staminosi Glutinis Receptacula*.

Non in omnibus illis receptaculis idem observabatur color; quædam enim alba erant, & hæc plura, & majora; alia aliquantulùm rubra; & hæc pauciora, & minora: nec solùm

lùm in his me periclitante prædictam expertus ſum varietatem in Receptaculorum colore, magnitudine, & numero, ſed etiam in filorum colore, & ſubſtantiâ: nàm ſtamina illa, quæ ex albis, & majoribus Receptaculis producebantur: candidiora videbantur, & fragilia; Quæ verò ex minoribus, & rubris, validiora, & colorata; Quapropter quùm anteà Phalangiorum telas, ac nidos conſideraſſem, ſingulorumque ſtaminũ craſſitiem, & robur, ità inter ſe comparari debere, non incongruum putavi: fila ſcilicet externum nidorum involucrum, ac telas componentia, ex majoribus emanant, albiſque Receptaculis: quæ verò ſtamina in variis Phalangiorum nidis occluſa, ovorum ſunt adminiculum, quùm fortiora hæc ſint, variè colorata, & minoris quantitatis, abs re non erit, ex minoribus, rubriſque Receptaculis produci, & hæc ſtamina verum ſunt Tarantularum ſericum.

Atque hinc patet quàm parùm accuratæ fuerint Ariſtotelis obſervationes de Naturâ Animalium lib. 9. cap. 39.: ubi ait. *Aranei ſtatim cùm editi ſunt, fila mittunt, non intrinſecùs tamquàm excrementum, ut Democritus ait, ſed extrinſecùs de ſuo corpore veluti corticem, aut more eorum, quæ ſuos villos jaculantur, ut Hyſtricis:* Democriti tamen ſententia

-entia à veritate aliena non eſt. Ariſtotelem ſequutus eſt Cardanus lib. 7. de rerum varie-tate cap. 28. ubi ait; *non ex ventre, ut bom-byx ſericum, ſed exteriùs educit, quo telam texat.*

CAPUT IX.

De Appendicum Mammiformium muſculis.

QUamlibet ex Appendicibus mammiformibus muſculo ſphinctere donari aſſerit Dominus Bon in Memor. Academ. Reg: Scient. Pariſ. Ann. 1709.; quos pluribus, replicatiſque obſervationibus invenire nequivi; Benè tamen Tarantulâ, & præcipuè Appulâ per ventrem diſſectâ, & pelliculâ forficulis ablatâ, extractis Ovariis, Corporeque Hepatiformi, multi, ac variè ramificati obſervantur *muſculi oblongi* HHH, (Tab. 2. fig. 7.) qui à Freno F, immò ab oſſis Thoracis, & præcipuè dorſi extremitate, & margine ortum ducunt, & per viam invicem per quoſdam tendinoſos proceſſus uniuntur, variiſque poſterioribus ventris partibus, per tendinoſas quaſdam fibrillas adligantur: & versùs finem; juxtà ſcilicet mammiformium Appēdicum Baſim internam attenuantur, ipſiſque demùm inſeruntur.

Horum *muſculorum* ope Tarantula varia exercet munera: nàm fæcum molitur excre-

tionem,

tionem, viſcera comprimendo: necnon & materiæ ſtaminoſæ depoſitionem adjuvat, ex corporis hepatiformis compreſſione in glutinis ſtaminoſi receptaculis. Immò & rationi valdè arridet, Muſculos iſtos ſolidiori corpori, dorſali ſcilicet Thoracis oſſi, implãtari debuiſſe, veluti puncto fixo, ut motus ſuos validiori vi, ac energiâ poſſint eorum fibrillæ ad Tarantulæ lubitum exerere: & ut faciliùs materiæ ſtaminoſæ è mammiformibus papillulis exitus promoveatur. Qùum etenim ſtaminoſa materia gluten ſit valdè viſcidum, non niſi magnâ horum muſculorum vi, & preſſione poterit è Receptaculis, & mammiformibus papillulis exprimi. Ac proindè glutinis iſtius conſideratâ naturâ impoſſibile erit, Tarantulas ſtamina ſua ad inſtar ſagittarum ejaculare, quùm ex unâ in aliam diſſitam arborem ſtamina traducendo Pontem ſibi patrare molitæ ſunt; ut idem Bon autumat; ſed ſuper hâc materiâ inferiùs, & fuſiùs.

CAPUT X.
De Tarantulæ Genitalibus.

SUb cujuslibet Tarantulæ pectore, in ſuperiori Ventris parte quædam obſervatur apertura, ſeù *orificium* X, ut demõſtrat Tab. 1. fig. 5. & 7. in Phalangio appulo; vel fig.

fig. 2. ejusdem Tab. in Phalangio argenteo sphęroide : & circà hoc orificium, quod ad interiora continuatur, veluti *forcipuli*, *seù corpuscula quædam uncinata*, *unguiformia* o o o o quasi coronam efformant, undè totum prædictum orificium forcipulis uncinatis circumvallatur: quorum usus est, ut Tarantulæ coëuntes, istis uncinulis inter se complicatis invicem cohęrentes, coitus actionem opportuniori expleant temporis duratione; Hæc namque apertura *genitalium locus*, & *orificium* est in Tarantulis.

Tarantularum genus usque nunc Hermaphroditum expertus sum; Infinitæ namque Tarantulæ, variique generis à me dissectæ fuere ad organa generationis detegenda: & nihil aliud invenire potui, nisi *orificium* pręd ctum uncinulis circumvallatum, & *ovaria*, quæ non tàm parvam ventris anteriorem partem occupant m m m m [Tab. 1. fig. 5] & veluti in duos lobos m m, & m m divisa: perfecta namque non erat divisio, sed per profundum canalem signata.

Penem in Tarantulis invenire numquàm sors dedit: licèt à Domino Bon Tarantulæ penis demonstretur in Transactionibus Philosophicis Anglicis, cujus figuram in Transactionibus depictam hìc quoque referre volui, ut demonstrat fig. 8. & 9. Tab. 2. B & C; Qua-

K propter

propter cum meis niti obſervationibus, & non alienis à principio mihi propoſuiſſem, novas ſuper hâc re tantùm obſervationes reiteravi: variiſque repetitis experimentis ad Tarantulæ Penis veram ſententiam firmandam, alitèr rem ſe habere ſuſpicor. Nàm juxtà ſupradictum Tarantularum orificium inveni quidem *particulam* non valdè à *Pene* à Domino Bon deſcripto diſcrepantem: ſuſpicor tamen nè ad reſpirationis organa pertineat, nàm ſuper Rimulis reſpiratoriis, de quibus mox erit ſermo, inſident innumera quædam filamenta à Domino Bon deſcripta, & à Me quoque inventa, quæ ſunt veluti radices iſtius particulę, quę *Penis* à Bon dicitur; Quaderè per filamenta b b b b [Tab. 2. fig. 10.] forsàn vaſcula excurrent, liquidas ſubſtantias ad rimulas prædictas transferentia, ut reſpirationis, aëriſque beneficio gaudeant Tarantularum liquores: Tantò magis quod *Penis mucro* B, & C (Tab. 2. fig. 8. & 9) à Bon deſcripti, continuatur veluti in *Inteſtinulum* c (fig. 10.) ut ex meis conſtat obſervationibus: Immò omnes Tarantulæ cujuſcumque ſpeciei hâc gaudent particulâ, ut ex pluribus experimentis certior factus ſum: cujus particulæ continuatio c in quibuſdam brevior: & longior in aliis obſervatur Tarantulis; etenim non eſt particulæ illius terminus,

ſed

ſed fortuita laceratio illius partis. Præterea particula iſta flaccidiſſimæ eſt ſubſtantiæ, & molliſſimæ: ità ut ſi genitale orificium ingrederetur, ſtatim laceraretur ab uncinulis jam deſcriptis, qui prædictum orificium circumdant; Nec erectionem in actu coitûs opponas, nam erecta particula iſta, quùm molliſſima ſit, ut jam dictum eſt, faciliùs ex lege mechanicâ laceratur.

Tarantularum igitur coitus per penis intromiſſionem fieri non benè conſtat: & forsàn, ut ait Ariſtoteles cap. 8. lib. 5. de naturâ Animal. veritati erit conſonum: *Inſecta averſà coëunt: deindè quod minus eſt ſupervenit majus, hoc eſt mas feminam, nec mas in feminam genitale ullum inſerit membrum more Animalium cæterorum: ſed femina ſursùm in maris receptum, caudæ ultimum ſuæ meatum quemdam producens reflectit*: Et paulò inferius. *Phalangiis quæ texunt, coitus agitur hoc modo: quùm fæmina deductam araneam traxerit, mas eamdem mutuò trahit: quod ubi ſæpius fecerint, coëunt, & averſis clunibus copulantur, nàm propter alvum orbiculatam, modus hic coeundi iis congruit*. Et hæc Ariſtotelis obſervatio non eſt à veritate tàm aliena. Phalangiorum tamen mares nunquam obſervavi: Vidi quidem Phalangia pro maſculis demonſtrata, quæ quùm diſſecuiſſem,

ovariis quoque donabantur: Hæc Phalangia minorem habent alvum, & acutiorem; quod non aliundè provenit, nisi ex eo quià ovaria in istis fęcundata non sunt: sicuti in creditis fęmellis, quæ ob ovorum fæcundationem, & augumentum majores apparent: & post partum, seù ovorum editionem eorum corpora diminuuntur, & macrescunt, ità ut pro creditis masculis haberi possint, ut cuicumque periclitanti palàm fieri poterit.

Varias pręthereà insectorum species Hermaphroditas esse experientiâ compertum est; Terrestres observentur Cochleæ, seù limaces, quæ omnes Hermaphroditæ sunt: (Histor. Scient. Acad. Reg. P. 1738:) nàm utroque sexu perfectissimo sunt præditæ: & speciali modo coitum exercent; nàm limaces coëuntes ità invicem copulantur, ut utraque & patiatur, & agat: quùm etenim limax sociam gravidat, gravidans ex eodem coitu gravidata emergit. Secùs tamen in Ostreis, Mitulis, Tellinis, Matreperlarum, similibusque Marinis conchyliis, quæ licèt Hermaphroditæ similitèr sint: alio tamen argumento coitum celebrant, perfecta etenim habent utriusque sexûs genitalia, ut in Hist. Acad: R. S. P.; Ostreæ namque scopulis fortiter adhærentes nullimodè cum sociis possunt copulari; quaderè quùm utroque gaudeant

sexu,

ſexu , aptiſque munitæ ſint ad coitum obeũdum utriuſque ſexûs inſtrumentis , unaqueq; ex ſe ſolâ ſecum coit , maſculea cum fęmineis genitalibus copulando ; ità ut in illo actu una Oſtrea duas repræſentans perſonas, ipſamet ſemetipſam gravidet.

CAPUT XI.

De Tarantularum Inſtrumentis Reſpirationi dicatis.

RESpirationis neceſſitatem in Viventibus conſiderans , quæ organis opportunis perficitur, curioſitate motus, talia in Tarantulis organa invenire mecum conſulebam ; Quùm juxtà latera *genitalis orificii*, ſed paulò ſuperiùs duæ apparuerunt *Rimulæ*, quas attentè conſiderans , unà cum partibus adjacentibus , & ad iſtas *Rimulas* ſpectantibus, reſpirationis inſtrumenta eſſe non præter rationem decrevi . Corpus namquè Pulmoniforme reſpirationi dicatum non eſt , nullâ etenim fiſtulâ ad illud opus neceſſariâ , quæ uſque ad os excurrat more ſolito , donatum eſt ; Neque Tarantularum Thorax reſpirationi poterit unquàm inſervire ; Ex duobus enim conſtat oſſibus ; quorum unum conſtituit Dorſum , alterum Pectus efformat : lateraliter eâ parte, quâ pedes prodeunt, articulantur articulatione quadam nullis prorsùs moti-

motibus aptâ, ac proindè alium ejus usum esse ratio suadet, ut superiùs satis dictum est: *Rimulæ* prædictæ A A (Tab. 1. fig 7.) Marginibus veluti ciliis cartilagineis muniuntur, ut faciliori negotio suam conservantes figuram, illarum orificium propriis usibus destinatum aptiùs posset sua munera exercere.

Ut manifestiùs, & clariùs harum *Rimularum* usum detegerem, plures Tarantulas Appulas dissecui: & quùm portionem membranæ Abdominis L P, (Tab. 2. fig. 4.) cui *Rimula* insculpta erat invertissem, interiori ejus superficiei adnascebatur tunica quædam crassa, alba, substantiæ sat raræ, & spongiosæ H, quæ circà *Rimulam* per aliquod spatium expansa q q q q, suâ margine tantùm concrescebat: ità ut veluti parvam crumenam repræsentare videretur, nullâ aliâ patente aperturâ, nisi *Rimulâ* G exteriùs hiante; Neq; in his crumenæ membranis H vascula alia, aut canaliculos vidi, nisi tantùm varias fibrillas t t, Particulæ illius radices, quæ pro Pene à Domino Bon consideratur, ut superiùs dictum est; Sed à me probabiliori forsan conjecturâ vasa, & instrumenta censentur pneumatica. In crumenæ illius substantiâ, ex inregularissimis fibrillarum plexibus inter se vario situ, & ordine complicatarum, infiniti

emer-

emergunt poruli, variæque figuræ ſpatiola: inter quæ innumeri videbantur globuli ad inſtar Veſicularum, lucidi, & diaphani, qui per totam crumenæ ſubſtantiam ſpargebātur; Quapropter Organa Pneumatica has crumenas eſſe certo certius decrevi: & *particulæ Peniformis* radices ipſamque *Peniformem particulam* Domini Bon, ad hæc quoque pertinere. Aërem namquè recipiunt Tarantularum Vitæ neceſſarium, qui per *particulæ Peniformis* radices, & per incognita forſan alia vaſcula à Me ob flaccidiſſimam Inſecti ſubſtantiam non detecta, Tarantulæ liquidis commiſcetur: præter aſſiduas preſſiones, ſolidarumque partium tenſiones, quæ ex aëris in crumenas introductione, earumque expāſione reſultant; Et hâc ſervatâ Methodo ſpirituoſarum particularum in Tarantulæ corpore non ſolùm promovetur opera: ſed ipſemet Aër pro majori ſui parte, ſpiritibus animalibus Vulgò dictis elaſticas ſuppeditat particulas, in Crumenæ H Vaſculorum plexibus, Veſiculisque à reliquo aëre ſecretas: quæ *vel ſolæ forſan, vel pro maximâ ipſarumet parte ſpirituoſarum particularum ſunt materia*. Pulmonum itàque hæc organa funguntur munere; Reſpirationem ſcilicet celebrant: Atque hæc proindè Tarantularum pneumatica organa eſſe ſtatui.

In

In omnibus Phalangiorum ſpeciebus eumdem ſervant ſitum, & figuram: nèc non ejuſdem prorsùs ſunt ſubſtantiæ. Præter reſpirationis officium, ad varios quoque organa hæc pneumatica uſus ſecundarios ſunt deſtinata: nàm dùm aëre turgent, ſubjecta præmunt viſcera, & eorum adjuvant munia: materiæ ſcilicet ſtaminoſæ præparationem, fabricam, ac opportuno tempore excretionem, & ſimili quoque argumento fæcum expulſioni opitulantur.

CAPUT XII.

De Tarantulæ Staminibus.

PHalangia exteriùs fila non emittere jam ſatis conſtat: ex internis namque ejiciũt viſceribus: ne tamen credas in materiæ ſtaminoſæ receptaculis fila Phalangiorum talia eſſe, ceù in eorumdem telis obſervamus: nam ut jam dictum eſt, in prædictis receptaculis humor quidam viſcidus, ac tenax continetur, qui è Mammiformium proceſſuum porulis, ſeù excretoriis vaſis expreſſus, & alicui corpori applicitus à Tarantulâ, vel progredeunte, vel pendulâ ex aliquâ altitudine proprio pondere, & ex electione cadente, in fila ducitur, ac protenditur; Humor præterea ille viſcidus eo modo pro-

ductus in fila vertitur ſtatim ac aëri exponitur; Quapropter non incongruum putarem argumentum, ſi gluten illud ſubcutaneum in hominum, Brutorumque cute conſpicuum pro genuinâ habeatur pilorum nutrimenti materiâ.

Nec poterit unquàm Tarantula ſua fila elaborare, ſtaminoſam materiam è ſuis Mammiformibus proceſſibus ad inſtar telorum ejaculando, quùm impoſſibilis hæc ejaculatio prorsùs videatur, contra Domini Bon opinionem: nam ſola ſtaminosæ materiæ viſciditas argumento eſt, præter alias rationes, quæ poſſent in medium duci. Solummodò igitur à Tarantulis producuntur ſtamina, quùm primò materiam ſtaminoſam alicui corpori ſolido, fixo, àc reſiſtenti applicaverint, ſuoque lubitu, vel progredeuntes, vel proprii corporis vi ab aliqua altitudine pendulæ, nunc Netricum, nunc Textricum munere funguntur.

Non omnia Tarantulę ſtamina eamdem habent conſiſtentiam: non omnia ejuſdem roboris, neque ejuſdem obſervantur coloris. Quælibet namque Tarantula triplicis generis fila emittit: fila ſcilicet, quibus texendis telis utitur, quæ candida ſunt, ſed debilia: ſecundò ſtamina, quæ compactiori, & ſolidiori texturâ albiſſimam in quibusdam, ſpe-

ciebus, alteriusque coloris in aliis ovulorum capsulam efformant: Tertiò stamina illa, quę singulorum ovorum sunt adminiculum C (Tab. 2. fig. 5, & 6.): Variique coloris talia stamina conspiciuntur; Ova etenim in ovorum capsulâ ità disponuntur, ùt veluti glomum ex staminibus, & ovis compositum videatur, ut in figuris prædictis 5., & 6. C, & B; Quapropter conjecturare facilè licet, stamina illa intrà ovorum capsulam recondita, Tarantularum recenter exclusæ fęturæ inservire, nè Phalangiola Phalangiolis incumbendo suffocentur in ipsâ capsulâ.

Primum staminis genus, telarum scilicet, valdè fragile, & debile est, cujus usus, ad vulnera consolidanda, vulnerumque Hęmorrhagiam sistendam. Colicæ ventosæ quoque opitulantur araneorum telæ si cum aceto ad ovi magnitudinem malaxatæ, Umbilico ad instar Cataplamatis applicentur; Immò juxtà Domini Bon observationes, *Si Araneorum Tela destilletur, abundantissimam spiritus copiam, salisque volatilis præbet: non minorem saltem, quàm æqualis serici bombycum portio, quod ex mixtis omnibus majorem horum principiorum continet quantitatem. Insuper spirituosus liquor ab araneorum telis extractus Tincturam florum Tournesol in vagum smaragdinum Colorem mutat. Dissolutionem sublimati corrosivi ad nivis speci-*

speciem quamdam coagulat: quûm alkalia omnia volatilia è Cranio humano, cornu Cervi, aliisque variis mixtis extracta, lacteam tantummodò reddant. Quaderè ex hoc novo Alkali, si eodem paretur modo, ac illud quod ex Bombycum capsulis præparatur ad Guttas anglicas Regias efficiendas, tàm specificas, & per totam Europam ad Apoplecticas affectiones laudatas, nova Guttarum fabrica poterit fieri, quæ meritò dici possent Guttæ Montis Pessulani, quorum usus timendus non est: sed magis proficuus, quam ex antiquis guttis expectandus eventus in Apoplexiâ, Lethargo, cæterisque somnolentis infirmitatibus, ob magnam ipsarum activitatem: immò & minùs ingrati sunt saporis, nec tam fætidus earum odor. Usq; hùc Bon in Transactionibus Anglicis.

Modus parandi guttas Regias anglicas sequens est, quæ compositio Elixir apoplecticũ quoq; dicitur.

℞. *Spirit. volat. seric. crud. lib. ss., ol. essential. cinnam:, aut Macis, aut alterius cujuslibet dracm. 1ss. m & distill. in vas. vitr. s. a.*

Præter usus prædictos, sterilitatem Araneos inducere scripsit Plinius lib. 29. cap. 4. *Tertium genus est eodem Phalangii nomine Araneus lanuginosus: grandissimo capite: quo dissecto inveniri dicuntur intùs vermiculi duo: adligatique Mulieribus cervinâ pelle antè so-*

lis ortum præstant nè concipiant : ut Cęcilius in Commentariis reliquit . Vis ea annua est: quam solam ex omni Atocio dixisse fas sit : quoniam aliquarum fæcunditas plena liberis tali veniâ indiget . Sed contrà Juvenalis satyr. 2. v. 139 Tarantulam fæcunditatem adjuvare asserit.

Sed meliùs quod nil animis in corpore juris
Natura indulget, steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodest Conditâ Pixide Lyde.

Varii Phalangiorum usus in Medicinâ videri poterunt in Dioscorid. lib. 6. cap. 42. In Pauli Aeginetæ lìb. 7. cap. 2. de temperam: ordin: . In Actii lib. 16. cap. 68. In Galeno: Quinto sereno , & aliis.

Quorumdam Phalangiorum stamina, quę in Capsulis servata ovorum sunt adminiculum , utilia magis sunt , quæ in varias manuum operas vertantur : in crassiora etenim fila ab Artificibus duci possunt , ex quibus varia opera , ut Telæ , Tibialia, Chirothecæ &c. fieri poterunt.

Ex omnibus Phalangiis , quæ commodius , perfectiusque sericum patrant , sunt Phalangia , quæ sub decimâ tertiâ specie continentur , Phalangia scilicet sphæroidea argentea majora : Phalangia ista vineas, sylvas, & spineta habitant : magnam quoque efformant ovorum capsulam : commodamque prębent

bent ſericei ſtaminis quantitatem. Per omnes Salenti, totiuſque Japygiæ Colles, & plana Campeſtria dumetis luxuriantia infinitus ferè eſt capſularum iſtarum numerus, ut non adeò difficile ſit multas ex iiſdem capſulis colligere: Hæ capſulæ figuram habent mulierum digitali ſimilem, quæ diametro unciam æquant: ova ſerico intermixta continent, & muniunt: & operculo ejuſdem ſubſtantiæ Capſularum exactè cooperiuntur; ſummis adhærent herbis, ſpinis, cæteriſque ſuffruticibus, nè cæno, & pluviâ ſepultæ, prolifica ovorum vi debilitatâ, & corruptâ, fætura non excludatur: Licèt enim compacta ſit Capſulæ textura, attamen non adeò denſa eſt ejus compages, ut aquæ impedire poſſit ad interiora ingreſſum. Secùs verò Phalangii appuli capſulæ, quæ ſphæricæ ſunt, & membranaceæ, nullimodè aquam ad interiora, aut ſaltem difficiliùs admittentes, ac proindè per Terram undequaquè propè ejuſdem cavernulas, atque intrà eaſdem obſervantur.

Cavernas, ſeù ſpecus in Terra Phalangia appula pro habitatione propriâ effodiunt: ſpecûs orificium ſtramine muniunt filis implicito: diametro unciam, aut ſeſquiunciam adæquat; Perpendiculari tramite ad duos utplurimùm digitos transverſos profundatur,

&

& hinc horizontali viâ, & parumper tortuosâ ad tres, quatuorque Pollices excurrit; sed versùs finem altiori fornice, majorique altitudine elaboratum proprium statuitur Tarantulæ appulæ cubiculum. Terræ Rimas ab æstivi Solis calore productas Tarantulam appulam habitare numquàm observavi, ut in antiquo quodam Authore se legisse refert amicus meus, & Scientiarum Acad. R. Neap. à secretis Socius Dominus Franciscus Seraus; quod à me anno transacto 1740. postulans, ut certior super hac re fieri posset, ingenuè, & pro rei veritate negativam illi responsivâ epistolâ significavi sententiam: Immò si aliquandò Rimas illas habitare Tarantula aliqua visa fuerit, non ideò suum erunt domicilium, sed vel insecta insequens, vel per campos vagans, ut ardentes Solis æstus aliquantulùm caveret, veluti aut venatrix, aut peregrina Rimis prædictis forsan concessa, inibi fortuitò inventa, prò suo domicilio Rimæ illæ à non valdè solertibus naturæ indagatoribus habitæ fuere.

Hominum curiositatem non parùm exercuit modus, quo aliquæ Tarantulæ ex unâ in aliam arborem, aliquot passus à primâ distantem migrent, per sat valida ex unâ in aliam traducta stamina, ut tutò per illa ambulantes, ex uno loco in alium possint veluti per pontem transmigrare. Quam-

Quamplurimi, inter quos Dominus Bon Acad. R. S. P. Socius Anno 1709. ſcripſit, Tarantulas ex arbore quâdam ſuo ſtamine pendulas,ità ſuſpenſas ventorum origini dorſum vertentes, è Mammiformibus proceſſibus plura fila ad inſtar ſagittarum jaculare, quæ ſi reſiſtentiam inveniant, ſeù corpus aliquod fixum, cui fortuitò poſſint adnecti, illi adligantur: Tunc reſiſtentiam advertens Tarantula ob ſtaminis continuationem, ſtamen illud ad ſe trahit: & pontem tali modo ſibi patrat, ſi verò secùs accidat, ut reſiſtentia ejaculatis jam ſtaminibus, à Tarantulâ non concipiatur, tunc majori impetu illa vibrat uſque dùm corpus aliquod, cui à ventis translata, adnecti poſſint inveniant. Sed quàm inepta ſit hæc Domini Bon ſententia ex defectu forſan oculatæ autopſiæ, proprięve inſpectionis, præter experientiam, ſuadet ratio: nàm *liquoris*, ſeù *glutinis ſtaminoſi* conſiſtentia viſcida, & lenta nequit permittere *ad inſtar ſagittarum* ſtamina à Tarantulâ ejaculari. Præterea Tarantula, ut pluries expertus ſum, & unicuique periclitanti facilè conducit obſervatio, abſque eò quod gluten illud ſtaminoſum è Mammiformibus proceſſibus expreſſum, antecedenter alicui applicet corpori, *nullimodè poterit ſua fila protrahere*: immò rupto ſtamine, aut lento

nun-

nunquàm elongabitur, usquequò corpori alicui non applicetur, & Tarantula progrediens, à corpore illo cui stamen est applicitum, nõ recedat: Quapropter ad *instar sagittarum* à Tarantulâ è Mammiformibus processibus stamina vibrari non poterunt.

Quomodò igitur Tarantula ex unâ arbore in aliam protrahat stamina, sic experientiâ comprobavi; *staminoso glutine* superiori arboris ramo, frondi, trabi, muro, vel cuicumque alteri corpori adnexo, pedes quibus repebat attollit, & contrahit: proprio pondere cadens, staminis longitudine successivè crescente, perpendiculariter descendit, non nihil adjuvantibus Mammiformium processuum musculis à me superiùs descriptis, qui more solito staminosi glutinis adjuvant expressionem; Ad Solum tali pacto perveniens versùs aliam repit arborem, ad cujus calcem perventa, Truncum ascendit, & alicui insistens ramusculo, aut frondi, pedum posteriorum, aliorumque beneficio, lentum trahit filum, ut accuratè advertit Ovidius amorum 1. Eleg. 14.

Vel pede quod gracili deducit Aranea filum,
Cum leve desertâ sub trabe nectit opus.

Filum igitur pedibus trahens, sub pectore conglomerat: quo fortiter tenso, resistentiâ jam conceptâ, eodem glutine corpori cui insidet

insidet adnectit, per quod ità tensum veluti per pontem ambulans, è quo lubet puncto, eodem modo pro suo voto alia fila protrahit. Hanc meam opinionem, & experimentum alio confirmat experimento Petrus Rolli Medicus Lequilensis accuratus Naturæ Indagator Hydrunti tunc degens, qui postmodùm immaturâ morte è Vivis excessit, in quadam suâ relatione ad me missâ die 15 Novemb. anni 1726. de Tarantulâ quadam Bufonem mactante, ut inferiùs Cap. 15. legi poterit; Ex arbore descendebat Tarantula suo stamine pendula, & per eumdem ascendens, veluti filum deglutire videbatur: attentiùs tamē re Amico meo respiciente, sub ventre filum glomerare suis pedibus advertit, quod & ego pluries quoque observavi; Quapropter puto Aristotelis considerans errorem, *fila scilicet Tarantulas extrinsecùs veluti corticem mittere* dicentis, ut superiùs dictum est, simili forsan observatione fuisse deceptum. Tarantulam namque fortasse observaverit, sub ventre tali onustam stamine; quod abs re non erit existimare.

Ad varia opera efficienda, tibialia scilicet, Chyrothecas, telasque sui generis sericeas, quantitatis tamen sat modicæ, sphæroidis Tarantulæ stamina possunt inservire: quæ verò intrà capsulam ad ova substentanda, Taran-

tulęque conſervandam fæturam deſtinata ſunt C (Tab. 2. fig. 5.) aptiora ſunt . In iſta figurâ Tarantulæ ſphæroidis argenteæ majoris ovorum capſula, naturalis magnitudinis repręſentatur : Nam B eſt capſula ex ſpiſſioribus, albiſque filis compoſita : C eſt ovorum congeries ſericeo ſtamine circumvoluta , & diſcreta : A eſt operculum Orificii D E capſulæ B quod ut plurimùm Hexagonum , vel pentagonum, & quandoque heptagonum eſt. Spinis , herbiſque adligatæ inveniuntur prædictæ capſulæ, quæ juxtà Baſim quandoq; variis foraminibus perviæ obſervantur , à Tarantularum ſcilicet fętura carcerem illum fugiente factis : Ovorum putaminibus, ſericeoque ſtamine intrà capſulam remanentibus, quod ſi artibus inſerviendum colligere velis, ſequentem modum ſerva .

Sericea ſtamina C Tarantulinâ fæturâ jam carentia ex capſulâ B , extirpato operculo A extrahas; Et quùm commodam illorum quantitatem habueris, ſuper tabulâ poſitam , baculo diutiùs flagella , ut pulvis, ovorumque putamina excutiantur . Sed Dominus Bon Acad. R. P. Socius excuſſo pulvere , aquâ tepidâ uſque ad ultimam munditiem diluit ; Poſteà cum aquâ ſaponis, addito nitro , & pauco gummi Arabico , in ollâ terreâ ebullire ad duas, vel tres horas curat:

rat:

rat: à quâ ſemotis ſtaminibus, & exprimit, & multâ calidâ diluit, uſquequò ſapone, & nitro penitùs careant: poſtmodùm ordinariis ſerici carminariis carminanda conſulit. Tali itaque modo Tarantularum ſerico curato, varia poterit Artificibus, operibus aliquibus efficiendis, commoda miniſtrare.

Si tamen ovorum capſulæ fętibus adhùc plenæ ſint, hunc modum ſervare ſoleo. Quùm multas habuerim ovorum capſulas, operculum A digitis avello: quo avulſo, omnes illas capſulas in aliquo vaſe lati oris loco, vel in quadam capsâ ligneâ abſque ſuo operculo; Ramuſculos ex myrtho, lentiſco, olea, ſimilibuſque in capsâ, vel vaſe defigo, itaut ramuſculorum comæ extrà vas non parùm emineant; Statim parvarum Tarantularum infinitus ferè numerus per omnes illos ramuſculos, telas ordiens, & ſtamina protrahens, ſuis incumbens obſervatur ſtaminulis. Ramos illos Tarantulinâ fæturâ luxuriantes flammis damno; Novos iterùm Ramulos in capsâ ſimiliter loco, uſquedùm omnis Tarantularum fætura ſtamina illa dimiſerit; Atque demùm ſerica illa ſtamina, ut ſuprà colligo, & curo. Hæc quidem ſtamina tali modo curata laborioſâ illâ pręparatione Domini Bon non indigēt: quùm tantùm ſufficiat ſola Carminariorum opera.

Hujus ſericei Tarantulini ſtaminis portionem, crudi tamen, & nullimodè ſecundùm methodum Domini Bon curati, miſi ad eximium Virum, omnibuſque Scientiarum numeris abſolutum Nicolaum Cyrillum Medicum Neapolitanum Celeberrimum, Neapolitanæ Academiæ Pręſidētem, Societatis Regię Londinenſis Socium, & in hoc Neapolitano Regno, totoque ferè Orbe Reipublicæ literariæ decus: Paucam illam ſerici quantitatem quùm ad Societatem Regiam Londinenſem tranſmiſiſſet, meum hunc opuſculum aliquādò viſuram fore ſpem certam illi pollicitus eſt, ut peculiari epiſtolâ ſub die primo menſis Julii Anni 1730. mihi notum fecit ſequētis adamuſsìm tenoris: *Aſpetto da V. S. queſte notizie, e forſe il Trattato ſe l' ha compito: Io queſte notizie colla ſeta manderò in Inghilterra alla Società Regia di Londra (di cui io ſono ſtato dichiarato membro) facendo menzione del voſtro nome. Non poſſo ſe non lodare li ſuoi ſtudj, e le ſue applicazioni, del frutto delle quali la priego à farmi partecipe &c.* Quapropter operi perficiendo, & diligentiori calamo exarando: ut tanti Viri juſſibus obſequar, conſtitui.

Difficultatis tamen Apex eo vertitur, ut ſufficiens ſtaminis Tarantulini quantitas inveniatur, quod non tàm facili negotio poterit

terit expleri; & licet Domini Bon, & Reaumur Anno 1710. varios excogitaverint modos pro Araneis nutriendis, & præcipuè Reaumur: Variæ quæ ad hoc opus perficiēdum insurgunt difficultates, insuperabiles ferè sunt. Nàm I. Non omnes Tarantulæ utile dant Sericum. II. Major Taranrularum pars parvulam componunt ovorum capsulam, & pręcipuè Tarantulæ, quæ domus habitant, super quibus aliquam Dominus Reaumur spem jaciebat, si per omnes domos illas quęritare liceret; quare ex his Tarantulis infinito ferè incommodo, & labore admodùm pusilla erueretur utilitas. III. Phalangium appulum valdè pauxillam dat sericei staminis quantitatem, asperam, & elaborari ineptam. IV. Si multas simul Tarantulas in aliquo loco ad ovorum capsulas fabricandas claudes, invicem se omnes occident, unâ, vel alterâ validiori scilicet superstite; Et hæc summi Opificis est Providentia; ex eo quià tam magna earum fęcunditas totam ferè Terram tam molestis impleret Animalculis: immò mea est opinio, & experientiæ arridet, Tarantulinos fætus ideò tàm numerosos esse, ùt scilicet sibi metipsis victum necessarium quęritari impotentes pro alimento inserviant: undè ipsimet sibi metipsis dulcissimum, gratissimumque sunt ferculum: Quaderè ex hoc argu-

argumento eorum numerum minui evidens eſt . V. ſi in loculis illis à Domino Reaumur paratis, ſingulæ collocentur claudanturque Tarantulæ , quęrerem an antè coitus uſum , an verò peracto coitu in illis loculis claudi deberent ? Si ante coitum , fruſtraneus eſſet labor ; ſolæ quidem ſibimetipſis ovorū prolificationi nequaquàm poſſent conſulere, quibus non prolificatis , ovorum capſulam efficere non poſſent ; ſi verò copulentur, ità ùt duæ in uno claudantur loculo, ſe mutuò occident ; Prętereà infinitus ferè eſſet labor, nec abſque morsùs periculo, ęſtivis pręcipuè caloribus in his Regionibus ardentiſſimis per Arva Tarantulis inveniendis vagari : immò, & hoſtem domi nutrire.

Per totam itaque Japygiam, ſeu per hujus Provincię Hydruntinę campeſtres locos, unica Tarantula ſphęroides argentea major commodam dat ſericei ſtaminis quantitatem: ſed nequaquam iſtam domibus noſtris habitare permittimus , venenoſiſſima namque eſt ; Nèc tantam ſerici ſtaminis quantitatem poterit ſuppeditare , ut Sericariis Textoribus telis ſui generis tantâ copiâ texendis pręſtare poſſit ; Nec Mercatoribus tàm magni erit quęſtûs . Quaderè Tarantulina ſerica ſtamina plùs curioſitatis , quàm lucri rationem habent . Et de Anatome ſatis.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Tarantulæ Veneno, & Morsu; & obiter de Veneni Officinâ.

NOn tot, quin plura Venenosus Tarantulæ Morsus torsit ingenia; nèc tot, quin plures excitando opiniones, varię emanarunt sententię; Immò rara symptomatum perversitas, curiosi effectus, cura non ordinaria: & spretis quibuslibet communibus Medicinę regulis instituenda: indicantibus omnibus exulatis, contraindicantibus neglectis, huic veritati fidem prorsùs abripuere; Oculati tamen Testes, assidua experimenta, curiosorum explorata pericula dubium omne abstulerunt; Morbum namque excitat Tarantulę Morsus, Tarantismus dictum, qui statis recurrit periodis, qualibet scilicet ęstate ab eâ Morsos vexantibus variis quidem, diversisq; symptomatum speciebus: ut varię apud Authores, pręter assidua experimenta, testantur Historię: Curatio namquè Musicâ tantùm absolvitur; Videatur Jo: Bapt: Theodos: Epistolâ 30. ad Andream Alciatum, in quâ quid sit stellio interpetratur, quid contusum: *Sunt & Appulorum Tarantulæ in agris Phalangiorũ fortasse generis, veneni præsentanei, commotâ statim ejus mente, quem percusserint: Auxiliari* omni-

omninò cantu eis, Musicâque ratione, consuetudo Regionis est; Et Cardanus de Animalibus, quæ ex putredine generantur lib. 9. pag. mihi 494. *Sed nihil mirabilius eo Aranei genere, quem vocant Tarantulam, quæ de Morsos morte per lethargum occupat: Remedium palàm est ex Musicâ, quod ad saltandum incitentur, nàm saltando veternus discutitur, àc cum eo simul Venenum, quod frigidissimum est.* Et Petrus Andreas Matthiolus lib. 2. cap. 56. & alii hoc quoque confirmant.

Tarantulini Veneni existentia ex innumeris ferè experimentis communi omnium consensu, in dubium revocari non potest. Omnia Antiquorum scripta solidissimum perhibēt de Veneni hujus veritate Testimonium, ùt apud Græcos, & Arabes Authores videre est à nobis jàm recensitos: & inter Latinos Plinius legatur variis in locis: & Cornelius Celsus, qui venenosum quoque Phalangii ictum cognovit lib. 5. cap. 27. Inter Recensiores ferè innumeri, ut Fernelius, Sennertus, Senguerdius, Mead, Valletta; Epiphanius Ferdinandus, Massapiensis, & Georgius Baglivus, duo veridici, & oculati Testes: & nonnulli alii, quos brevitatis gratiâ omittam; sed prætereà Alexandri ab Alexandro Tarantiaci cujusdam historiam referre hic convenit, & à se quidem visi, cum perfectissimos Apuliæ campos

campos ſub Cane iter faceret : Genial: dier: lib. 2. cap. 17. *Ad Tympani ſonum pſallebat Tarantiacus : Quæ res cum ludo, & riſu prorſus digna viſa foret , interim qui Tympanum pulſabat , ſonitu parumper intermiſſo , pauſam fecit , atque illum morbo affectum , ubi præcentio illa quievit , veluti attonitum , ſtupentique ſimilem , repentè animo linqui , & omni ſenſu destitui cernimus . Rurſus reſumpto Tympano , ubi primùm modulos audivit , priſtinas illum vires reſumere , & acriùs in choreas inſurgere ſpectabamus . Creditum eſt, quod à vero non abhorret , vim illam Veneni virulento morſu, & ſanie conceptam , harmoniã , & vocum concentu per totum corpus diffundi , atque indè facto neſcio quo dilabi , & exinaniri .*

Sennertus lib. 1. part. 2. cap. 17. de Tarantatis &c. hæc profert circà Tarantulæ venenum : *Tàm enim admiranda à Veneno hoc hominibus inducuntur ſymptomata , ùt reperti fuerint, qui penè pro fabulã habuerunt, quæ de malo hoc ſcribuntur : Cùm tamen omnia ſint certiſſima , & oculatos hujus rei Teſtes habeant plurimos , & hodie Apuliæ , & Salentinis ſint potiſſima .*

Georgius Baglivus in differt. de Tarantulâ cap. 7. ait : *& quamvis ſolæ Mulieres morbum hunc quandoque ſimulent : non perindè tamen ſuſpicandum hoc etiam erit de reliquis Tàranta-*

tantatis: nam nonnulli Viri cæteroquin eruditi, & Religiosi, cùm minimè Tarantatis crederent, periculum in se ipsis fecerunt, & in Apuliâ demorsi à Tarantula in imminens vitæ discrimen inciderunt, & nisi præstò fuisset Musica, brevi animam se efflaturos fatebantur, ut asserit etiam Epiphanius noster loco laudato.

Sed ne honestorum offendantur virorum aures à tot super Tarantulini Veneni existẽtiâ veridicis productis Testibus: qui veritatis criterio jam assueti, primâ fronte, Authorum negligentes Testimonia, in affirmativã concessere sententiam: alias, & quidem innumeras omittam authoritates: & dicam cum Plauto in Amphitruonis Prolog. vers. 78:

Virtute ambire oportet, non Favitoribus.
Sat habet Favitorum semper qui rectè facit.

Sunt equidem nonnulli non sapientes, sed Scioli, qui ut se super aliis sapere videantur, primos rerum Magistros existimari præsumunt. Hi equidem contrà jus faciunt: nam aliena funditùs quùm eruere conantur, non rationibus, non argumentis, sed solâ hæsitatione: sic sibi gloriolam parare contendunt: & prætereà à cunctis insulsorum dubiorum admiratoribus cæcum prætendunt consensum. His illud convenit Terẽtii in Eunucho Act. 2. sc. 2. ubi ait Gnatho Parmenoni:

Est Genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt : hos consector : hisce ego non paro me ut rideant,
Sed eis ultrò arrideo, & eorum ingenia admiror simul.
Quidquid dicunt, laudo : id rursum si negant, laudo id quoque :
Negat quis, nego : ait, ajo : postremò impetravi egomet mihi omnia assentari :

Eò quidem delirii ab istis perventum est, ut pro suâ sententiâ tot Terentii Gnathones exposcerent. Quùm tamen nullis suffulti rationibus, aliorum evertere conantur observationes, illisque communem fidem abripere, non ex proprio, sed ex alieno labore gloriam sibi expiscare videntur: & idem Terentii Gnatho Act. 3. sc. 1.

Labore alieno magno partam gloriam
Verbis sæpè in se transmovet, qui habet Salem.

Hujus quidem farinæ varii non multo ab hinc tempore Scioli emersére, super Tarantulæ Veneni existentiâ nunc hæsitantes, mox affirmativæ sententiæ aliquantulùm proni animi concedentes : Nunc fæminarum accusantes impudentiam, quæ sæpesæpiùs Tarantismo afficiuntur ; nunc Tarantatorum virorum falsas ut plurimùm circà Tarantulæ morsum relationes : vel summoperè vino in-

dulgentium: De morſu Tarantularum dubitare auſi quoque ſunt aſſerentes, variis factis periculis in tenellis Animalibus, ùt in pullis gallinaceis: Felium, canumque tenellis catulis, non momordiſſe, nàm nullæ apparuerunt in illis Animalibus morſûs cicatriculæ; Licet aliquandò ſupradicta Animalia morſa fuiſse fateantur: quæ tamen licet Tarantularum ictum experta fuerint, nullis prorsùs Veneni ſymptomatibus vexata fuere. Quod equidem falſum omninò eſt. Legant quæsò Georgii Baglivi *in diſſert. de Tarantul. Cap. X.* de Cuniculo à Tarantulâ appulâ tenui vibice irritatâ in labio ſuperiori demorſo obſervationem Neapoli factam cum omnibus Tarantulini Veneni ſymptomatibus, & cuniculi morte: Epiphanii Ferdinandi demorſa Animalia: Et innumera, quæ hac in Provinciâ aſſidua, vel fortuitò, vel conſultò accidunt exempla. Nuper pullum gallinaceũ præſentibus diſcipulis meis à Tarantulâ venenoſiſſimâ ſub axillâ ſinixtrâ morderi curavi. Pullus alioquin vegetus, è vegeto ſtupidus illicò factus, per duos dies à ſociorum ſegregatus conſortio abſque cibo, & potu, tetrâ gravis meſtitiâ vivebât, criſtâ coloris vivacitate orbatâ, & ad lividum inclinante: linguâ, palatum albeſcentibus: Tertiâ tamen die ſpiritibus aliquantulùm reſumptis, convaluit

valuit, comedit, & nunc alacriter vivit: vulnusculorum tamen à forcipibus inflictorum Cicatriculæ (ter namque demorsus fuit non absque proportionatâ sanguinis è vulnusculis effusione) dum hæc scribo, septimo jàm à morsu die, lividæ adhùc apparent. Quaderè Tarantulæ, & mordent, & vulnusculum excitant: venenatique earum morsûs symptomata, & ex Musicâ curationem in dubium revocari, pro exteris quidem Nationibus Veniæ præbet occasionem: Pro Conterraneis verò stoliditatis, & Scioli animi exhibet indicium.

Nec illis tanta fides Authoribus habenda est, qui quùm nunquàm à patriis laribus, nec unam unciam recesserint, exterarum rerum commenta fabricant: & de peculiaribus alicujus Regionis, quam nusquàm invisere, singularibusque proprietatibus ità differunt, ut res constanti rumore ex Orbe condito statutas, illiusque tantùm Regionis proprias, conentur funditùs evertere, & à communi hominum fide abripere. Isti inquam tali amoris proprii peste obruti, ùt singulares communis fidei Judices videantur, non ex alio pænu, nisi ex solâ fidei publicæ hæsitatione suæ sententiæ laudem, plausumque extorquent: nec frustrà sumunt operam, sed opimam metunt messem. Omnia namquè exotica Ingenia eorum se adscribunt sententiæ,

quibus vel audacia pro ſapientiâ in conſilio eſt : vel ea , de quibus agitur , majora quā ùt credi queant , & ſuprà fidem prorsùs ab-iſtis credantur: ùt in noſtro caſu Tarantularum variarum , & non ſolùm appulæ Morſus , Venenum , Symptomata , & Curatio ex Muſicâ , veteris exempli res ſunt , variis , conſtantibusque experimentis ſtatutæ , atque inter eruditiſſimos Conterraneos Viros non ſemel expertæ , & conſirmatæ.

Peculiaris alicujus morbi deſcriptio , progreſſus , curatio : morbi inquam Endemii , vernaculi , patrii , quod idem eſt , à quonam accuratiori ſtylo deſcribi poterit authore , niſi Conterraneo ? Quiſnam quæsò vernaculi alicujus morbi naturæ , & curationis methodi conducibilius poterit opuſculum concinnare ? Pro meo ſuffragio , fatear : Conterraneus author . Tarantiſmus ad inſtar vernaculi Apuliæ morbi à Tarantularum morſu excitati conſiderandus eſt . De hoc morbo nemini hominum fidei fides committenda , niſi ſolis Conterraneis , Apuliæque Incolis Authoribus: noſtro ſcilicet Epiphanio Ferdinando Meſſapienſi : Georgio Baglivo , qui ratione Domicilii veluti noſter habetur Sympatrida : Ludovico Vallettæ Luceriano , Antonio Ferrari , Galatæo à Patria dicto , qui in lib. de ſitu Japygiæ ait : *Genuit hìc Natura Arachneum animal*

animal nocentissimum, cujus Venenum fistulis, & tympanis pelli non crederem, nisi per plurima experimenta didicissem: legissemque apud Aulum Gellium, auctoritate Theophrasti esse quosdam serpentes, cujus Venenum cantu, & fistulis pellitur. Hi quidem solertissimi Naturæ à Secretis Ministri, & integræ mentis viri omniũ consensu existimati fuerunt: nunc sorte quâ nescio, insanisse, & deliravisse à nonnullis existimẽtur. Endemiorum morborum Sympatridæ Authores legendi sunt: non exteri, qui vel relata referunt, vel ex animi libidine scribunt.

Quapropter Authores omnes, qui Tarãtismo nonnulla scripsit mandavere, exterarum quidem, & valdè ab Apuliâ dissitarum Regionum Incolæ, quùm de morbo tractaverint ipsis penitùs incognito, in insolita forsan, & non ordinaria incidentes symptomata, quibus assiduò Tarantismus stipatur: Curationem in illorum Regionibus à communi Praxi medicâ non usitatam, & in Apuliâ tantũ consuetam, sed cerebrosam, nullo alio argumento potuerunt faciliùs invertere, nisi hæsitatione in medium ductâ; Hujus farinæ est Richardus Mead, qui in suo Tractatu de Tarantulâ ait: *Improba perseveratio Tarantatorum in hoc exercitio proculdubio plurimùm debetur præconceptæ magnæ opinioni, quam imbibissent*

tissent de commodis indè oriundis, quamque etiã adhuc qui adstant, ulteriùs evincunt, & quod omni tempore credidissent, & audivissent in his malis hanc unicam medelam esse.

Si fæminarum vanitati, earumque impudentiæ velis fictum, falsumque adscribere Tarantismum; licet ego huic quoque aliquandò me adscriptum fatear sententiæ, variasq; fæminas à Tarantulâ nunquàm demorsas, Tarantismum variis artibus simulavisse: fateor: nonnullas hujus farinæ falso-Tarantiacas sum expertus. Fateri tamen nullas fæminas pro Tarantatis habitas vero Tarantismo laborare, morbumque pro lubitu fingere, absque honestarum infamiâ, asserere non possum. Pueri, puellæ rationis usu carentes: honesti, & invalidi senes, pauperesque qui musicis debitam mercedem, ob inopiam, saltationisque labores ob virium defectum tam malè ferunt, ad quid talia ferre vellent, & non pauca saltationis incommoda? Religiosi, honesti, virtutibusque variis decorati, & eruditi Viri, ut Baglivus supra citatus observat, & nos nõ semel experti sumus, nescio quâ sorte Tarantismum, ejusque symptomata deberent simulare.

Confirmant *Veneni hujus existentiam* innumeræ quoque Tarantatorum historiæ: in quibus varia experiuntur symptomata post Taran-

Tarantulæ morſum ſævientia. Tarantula ipſa in ipſo mordendi actu obſervata: in demorſâ parte vulnuſcula: & Tarantiſmi ſymptomata ſupervenientia, vel confeſtim, vel paucis poſt morſum horis: ut aſſidua hìc teſtantur experimenta.

Reconcinnatâ igitur, & ex quàmplurimis exploratiſſimâ argumentis *Tarantulini Veneni exiſtentiâ*, immò & dilucidè expeditâ: nunc quomodò in *capſulâ ſalivali ſecernatur materia pro ſalivæ illius productione, Venenoſis particulis onuſta, videndum eſt.*

Evidens eſt capſulam ſalivalem variis, multiſque vaſculis donari quæ an cava ſint, microſcopium decernere nequivit ipſorum flacciditate maximoperè obſtante; Cava tamen eſſe probabile eſt: nàm ex *Parenchymatis pulmoniformis veſiculis* originem ducere exploratum habeo, capſulæque ſalivali implantari: Ac proindè materiam ad ſalivam procreandam à Parenchymate pulmoniformi capſulæ ſalivali ſuppeditari; Nec præter ſententiam talis ſtabilitur conjectura: nàm *capſula ſalivalis tota à Parenchymate pulmoniformi circumdatur*, cui ſecundùm totam ſuam ſuperficiem exteriorem, & à capite uſque ad calcem, ùt ex vulgari habemus adagio, prædicto adnectitur Parenchymati; Nec alia inibi viſcera obſervantur: Quapropter dicendum erit, Parenchyma pul-

moniforme è Tarantulæ liquidis, ſuarum glandularum ope, ſuccum ſecernere peculiarem, & per exiliſſimos ductus e e e e &c. (Tab. 1. fig. 6.): capſulæ ſalivalis B C tunicis transfundere, qui quùm per capſulæ vaſcula circulaverit, aliquâ conceptâ mutatione, per alios ductus g g g g à ſuperficie internâ D originem ducentes, Corpori linoſpermoidi F F transfertur: è quo per peculiaria Vaſa excretoria, à me ob particulæ iſtius exilitatem non obſervata, ſed rationi conſentanea, in capſulam ſalivalem denuò eructatur, præter notabilem illius liquidi quantitatem, per alia excretoria vaſcula immediatè è capſulæ membranis intrà ejuſdem cavitatem transfuſi: ubi ſimul mixti, unicum componunt liquorem, quem *Tarantulæ Salivam* voco, & ex duobus liquidis variæ texturæ conflatur; Iſta poſtmodum *Saliva*, urgente tamen neceſſitate per *ductum Salivalem* B A, uſque ad os translata, per oris excernitur orificium: & talis ſalivæ excretio, vel naturali, & ſimplici celebratur modo, adjuvante maxillarum motu, quarum radicibus oſculum A ductus ſalivalis adnectitur, ad Forcipes, Pedeſque humectandos, ùt ſuprà dictum eſt: vel irritata Tarantula majorem ſalivæ Copiam vomit; Irritato namque animalculo, vel preſſione; vel alio quovis modo inſtigato, molles totius ejuſdem
cor-

corpusculi fibrillæ magis tenduntur, validioresque proindè celebrantes oscillatorios motus, in Parenchymatis pulmoniformis vesiculis, glandulis, & vasculis, salivalisque capsulæ tunicis, oscillationibus adauctis: Forcipibus motu quodam naturali, & solito, ori applicitis: Turgidulo ob fibrillarum tensionem facto Tarantulæ corpusculo: Compressa salivali capsulâ, saliva foris eructatur.

Tarantulæ igitur *Salivam ejusdem esse venenum*, in dubium revocari non posse existimo; nam primò dùm Tarantula mordet, forcipibus vulnusculum excitat, quos primò ori adaptat, & salivâ imbuit, quæ Tarantulæ virus est: licet non audeam absolutè hoc affirmare, totam scilicet salivæ substantiam venenum esse: sed duas in ipsa saliva substantias conjecturare licet: *oleagineum scilicet succum*, *& veneni spicula*; succus oleagineus ità à me appellatus, ob magnam quam habet similitudinem cum olei communis, vel amygdalarum igne præparati colore, & consistentiâ, in Parenchymate pulmoniformi preparatus, per vascula superius descripta in capsulam salivalem desinentia, postquàm in capsulæ tunicis aliquam passus est mutationem, in organis peculiaribus ad hunc finem inibi à natura fabrefactis: celebratâ jam salivalium particularum segregatione, intrà

ipſam eructatur : exceptâ tamen parvâ ſalivæ illius quantitate, quæ per alia vaſcula communicationis in corpus linoſpermoideum inſeruntur: ubi ob peculiarem corporis iſtius ſtructuram *Veneni ſpicula* perficiuntur, ùt ſuperiùs dictum eſt, quùm de iſtius particulæ anatome; Per vaſa poſtmodùm excretoria intrà eamdem capſulam extillant, & cum ſalivâ miſcentur: compoſitumque quoddam reſultat veneni induens naturam, & venenum dicitur: propriè tamen loquendo *ſuccus oleagineus veneni eſt vehiculum : genuinum verò venenum ſpicula ſunt ante dicta in corpore linoſpermoideo efformata*.

Succum itaque oleagineum in Parenchymate pulmoniformi præparatum, haud totum per corpus linoſpermoideum permeare rationi conſonum eſt: nàm innumera ſunt vaſcula à Parenchymate pulmoniformi prodeuntia, quæ in capſulam ſalivalem deſinunt: pauciora tamen quæ à capſulâ in corpus linoſpermoideum; Quarè non absre concludam totam ſaltem ſucci oleaginei quantitatem corpus linoſpermoideum non permeare, benè tamen multò minorem ſucci illius copiam: vel *alterius forſan peculiaris Liquidi in peculiaribus capſulæ ſalivalis glandulis ſecreti ad Veneni ſpicula producenda*: quod tamen veriſimili tantùm conjecturâ, non verò evidenti conſtat autopſiâ. Vene-

Veneni proprie dicti particulas ſpicula voco : nôn verò extrà rationem; Nàm *Corporis linoſpermoidei* conſideratâ texturâ ex innumeris laminulis oblongis, anguſtiſſimiſque tubulis, & ſecundùm longitudinem ſibi mutuò ſtrictiſſimè adhærentibus compoſitum eſſe maniſeſtè patet: qua propter *liquidi ſalivalis* per ſtrictiſſimos illos tubulos conatu quodam introductæ particulæ, *oblongam*, *rectam*, *& acutam induere debent figuram*, *ſolidiſſimamque ſubſtantiam*. Tali pacto itaque figuratæ, è corporis linoſpermoidei tubulis per peculiaria excretoria vaſcula in capſulam hiantia evomuntur: ubi cum ſucco oleagineo miſcentur, & *ſalivam illam venenatam*, tantiſque fęcundam viribus componunt: volatiliſque naturæ hanc ſalivam eſſe, aut ſaltem *veneni ſpicula* nullus ſanæ mentis Philoſophus dubitare debet: quod deducitur à Tarantatorum ſymptomatibus ſtatim à morſu apparentibus (quod ut plurimùm ſolet accidere), & ex partium veneni officinam componentium textura, ùt ſatis dictum, & probatum puto.

Forcipes igitur Tarantulæ inſtrumenta ſunt, quibus ad mordendum utitur, quos primò venenatâ intingens ſalivâ validè erigit, & diducit irritata Tarantula: quos diſtringẽs, & contrahens, in actu illo forcipum concurſûs, mordet, cutemque leniter vulnerans, nonni-

nonnisi paucis à morsu momentis traductis, færocissimi minimæ illius veneni quantitatis, in corpus per vulnuscula à forcipibus excitata introductæ, effectus prodeunt, & secundo, tertioque à morsu die vulnusculis penitùs delitescentibus: itaùt demorsam corporis particulam vix queas curiosis ostendere; constans tamen non est periculum, statim à morsu veneni effectus prodire: observamus enim nonnullos à Phalangio aliquo demorsos, nullis affici solitis Tarantatorum symptomatibus statim à morsu inflicto: sed aliquandò post non parvum temporis spatium apparent. Quod forsan à mordendi modo, morsorumq: hominum texturâ provenire potest.

Quæ dicta sunt, & inferiùs dicenda melius elucescent, si nonnullas Tarantatorum hìc describam historias: ùt scilicet variis consideratis à veneno productis effectibus: symptomatibus omnibus accuratè perpensis, veneni hujus naturam indagaturis, faciliorem Philosophia tramitem ostendat: ut pedetentim conjecturali ratiocinio remotissima, & sacra sua penetralia tandem possimus attingere, vel saltem è longinquo salutare, nàm

Multa tegit sacro involucro Natura, neque ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia: multa
Admirare modo, necnon venerare; neque illa
Inquires, quæ sunt arcanis proxima; namque
In

In manibus quæ sũt, hæc nos vix scire putãdũ est:
. Est procul à nobis adeò præsentia veri.

Sìc in clarissimo legimus Lucretio, quo in loco Epicurum suum sequutus non est, qui in Epistolâ ad Menicæum ait: *Neque Juvenis dum quispiam est philosophari negligat: neque senex quùm sit philosophando fatigetur: neque enim intempestivus ullus est. Quoniam nil pulchrius*. Explicitis tandem Tarantatorum historiis, de Tarantulini veneni effectibus dissceremus, quos contrà exoticos sciolos ex Musicâ instrumentorum incentione, promptiorem curationem depromere demonstrabimus.

CAPUT XIV.

Tarantiacorum Historiæ.

HIST. I.

ANno 1728. die 10. Mensis Julii Theresiam Serio Terræ Campiarum quindecim annos natam quùm vineam perambularet, Tarantula undecimæ speciei suprâ pecten momordit: statimque illa ardorem nimium in loco offenso sentire cæpit, ibique vesicula subrubra, lata quidem, non tamen adeo turgida excrevit; Domum regressam illicò cordis anxietates, ventriculi, & hypochondriorum inflatio, dolores circâ præcordia quammaximi corripuere; ardoremque interiùs ad instar flammæ viscera adurentem sentire se ajebat: Accedunt

cedunt cytharædi, variisque tentatis modulaminibus, ſtatim àc alterum perſentit modulamen ad ſaltatus incitata, lentè tamen ſaltare cæpit, primoque die viribus ætati non ſuperioribus pluribus choreis ſe exercuit, ſaltatûsqne tempore quodammodò quieſcebant ſymptomata, quæ Muſicis ceſſantibus inſtrumentis denuò recrudeſcebant, & totâ nocte Tarantiacam crudeliter excruciabant. Notandum hìc, quod Tarantiacę Matertera obſtinatè aquę potum illi avidiſſimè exoptanti, neſcio quâ ratione ducta, prohibuit, me penitùs renuente. Secundo die eadem erant ſymptomata, vireſque prorsùs in ſaltatibus deficiebant; Rubro delectabatur colore, cujus pręſentiâ majores acquirebat vires: Negabatur in aquam immerſio à Sciolis adſtantibus mulierculis, quam enixè appetebat. Cytharędi pręfixis diei jàm peractis laboribus receſſerunt, Tarantiacâ cum efferorum ſymptomatum ſęvitie miſerrimè derelictâ, quę totam noctem moleſtam, cruciatûſque plenam duxit, & ſubſequente die tertio, quùm ſaltare non poſſet, veluti ſemimortua ſymptomatis nullimodè quieſcentibus, immò crudelioribus excruciabatur, ſicuti & pręteritâ nocte. Quapropter cytharędos dimiſit: Quarto die eiſdem urgentibus ſymptomatibus cytharędi iterùm âcceſſerunt, quûm Tarantiacę Mater, ut Filię deſide-

desiderio aquam poscenti occurreret, illâ ad voluptatem ut expleretur curavit, quę tota in aquam immergebatur, & plenis amphoris Tarantiacæ humi se prosternentis corpus perfundebatur strenuè sonantibus cytharædis. Mirum! Vires protinùs acquisivit: Cessaverunt penitùs symptomata, & hoc anno perfectè Curata est.

HIST. II.

Anno 1728.

THeresia Simone supradictæ Terræ, quinquaginta circiter annos nata, multis abhinc annis à Tarantulâ demorsa, quûm ad multos annos saltatu se exercuerit tempore solito, tandem crescente ætate, tædio veluti affecta solitas deservit Choreas. Paucis transactis annis in hydropem incidit, communiter à Medicis anasarcam appellatum: Cujus curandi causâ vocatus ego, & nesciens illam à Tarantulâ olim fuisse demorsam, efficaciora adhibui medicamenta, quibus tamen non solùm morbus non profligabatur, sed major, & ferocior fiebat in dies, corpusque totum in deformem excrescebat molem; quûm itâq; de cæteris excogitarem præsidiis, fortuitò ex quarumdam fæmellarum sermone illam Tarantiacam olim fuisse deprehendi, & illinc dubitare cæpi an hydrops ille, Tarantulæ vene-

nosi morsûs foret effectus per plures annos non curati, àc proindè, liquidas omnes, solidasq; illius partes corrumpentis. Choreas igitur à tanto tempore neglectas more solito necessarias consului; Repugnabat hæc ob manifestam quidem impotentiam, nullatenùs enim moveri poterat; in tantam membra excreverant molem. Tandem spe salutis ducta, musica quæsivit instrumenta, solitoque suo modulamine audito, præsente me suspirare cæpit, duobusque juvenibus innixa, totum cubiculum ferè per horæ octavam lentè perambulavit: Defessa demûm lectum petiit: viribusque quodammodò parvo temporis spatio refectis, denuò ad saltatus incitata, per horę quadrantem iisdem incumbens Juvenibus lentè quoque ambulabat. Tertiâ vice majores ostendebat in ambulatione vires, eodemque vespere Juvenum, quibus inniteretur non ampliùs indiguit auxilio. Plurimum, & perquàm copiosè sudabat; Concludam: Morbus obstinatissimus, qui per integrum ferè annum nullis cessit medicamentis, duorum dierum spatio prorsùs curatus fuit, omnibus quidem admirantibus; nunc vivit, & quolibet anno uno tantum die Choreis indulgens, totum deindè annum lęta, & sui benè valens degit.

HIST.

HIST. III.

JOannes Demitri è Campiis undecimum ætatis annum agens die 17. Julii anni 1728. à Tarantula horis Pomeridianis morſus fuit ſub mammâ ſinixtrâ: illicò in loco demorſo veſicula ſubrubra elevata eſt; dolor cum ardore, hypochondriorum inflatio; ventriculi, & abdominis totius turgeſcentia, præcordiorũ anxietates, reſpirandi difficultas, ſitis moleſta, viſcerum dolores, laſſitudo univerſalis, genuum debilitas, & inconſtantia ſupervenere: Accedunt veſperè cytharędi, proprioque inſtrumentorum modulamine, quieſcentibus quodammodò ſymptomatibus ſaltare cæpit, breviſſimis tamẽ Choreis exercebatur, nàm ſtatim vires deficiebant, lectumque petebat: Cytharędis recedentibus nox ſupervenit moleſtiſſima cum iisdem ſymptomatibus, quę ſerociùs per totum ſequentem diem Puerum cruciavere, ac ſuis deſperans viribus, inſtrumenta noluit convocari; veſpere accedente, & ſymptomatibus non recedentibus, Parentes ſui meũ imploravere auxilium, quarè ad puerum inviſendum me contuli, cui quûm vellem conſulere, fruſtranea omnia noſcens remedia pręter muſicam, quam incautus renuebat Puer, teriacam in aquâ ſcabioſę diſſolutam hauriendam propinavi, è cujus hauſtu nullum prorsùs levamen perſentivit, nec ego ſperabam: Totâ

nocte inquietus cum eâdem abdominis, & hypochondriorum distensione, iisdemque fastidiis. Postridiè valdèmane illum denuò visi; viresque languidiores, & eadem symptomata urgebant, quę quùm vesperè quiescerent, totâ nocte dormivit, & mane sequente placidâ gaudebat pace cum symptomatum remissione: Venter tantùm, & hypochondria tumida, veluti à flatu distenta, & à manu percussa, sonum ad instar tympani edebant. Quarè cytharedos convocari jussi ad residuum illud symptoma penitùs profligandum: paucis, meo jussu se exercuit Choreis, & sanus evasit.

HIST. IV.

DIe undecimâ Mensis Julii circiter meridiem anno 1728. Marianna Madaro Campiensis, virgo vigesimum ætatis annum agens à Tarantulâ demorsa fuit in Fęmoris dexteri internâ parte suprâ genu; Statim vesicula sublivida elevata fuit cum puncto nigro in loco morsûs, quę instar noduli induruit: unâ, vel alterâ post morsum horâ honesta Juvencula queri cępit de pręcordiorum anxietate calore per viscera excurrente, ventriculi inflatione, externique totius corporis habitûs refrigeratione: hoc modo duos transegit dies, nàm prę pudore cytharædos recusabat: Tandem die decimatertiâ ejusdem mẽsis, tertiâ à morsû,

illis convocatis ſaltare cœpit, & diem integrum plures Choreas exercuit, aquæ tamen desiderio flagrabat, non potandæ ſolùm, ſed etiam corporis totius perfundendi gratiâ: Aſt Sororis majoris metu, ne veſtes, & induſia proluendo humi ſe proſternens conſpurcaret, ab illâ per totum illum diem abſtinuit; Diei illius laboribus peractis penitùs libera viſa eſt, quûm prorsùs omnia ceſſaverint ſymptomata: Per tres dies valuit; ſed quartâ poſt ſaltatus luce iterùm turſit ventriculus, inflata ſunt hypochondria, & ſinixtra manus cum toto brachio valdè intumuit cum admodùm vehementi digitorum dolore, omniumque articulorum inſigni laſſitudine: Veſperè cytharædos vocavit; tres peregit choreas, & ſymptomata mitiora facta ſunt; manusque, & brachium detumuere. Poſtridiè virium defectu quieſcebat, & mecum quàm avidè aquam appetere ſecretò communicavit, Sororem enim timebat, & non adhùc à ſymptomatis ſe liberam dicebat: En coràm me iterùm intumuit manus, lividumque tumor colorem traxit: Aſt quûm ſæpeſæpiùs morborum quorumdam curationi de novo accidentia impedimento ſint, inexpectatum infortunium Tarantiacæ curam ſolito Chorearū auxilio impedivit: dum enim ſaltatu antecedente veſperè ſe exercebat, funi è lacunari demiſſo. (ut hìc mos eſt omnibus

Ta-

Tarantatis) graviter dùm saltabat innixa est, rupto ob vim fune in Terram concidit, & in osse Coccygis non solùm contusionem sed luxationem imperfectam est passa: Dolore in hàc parte maximo vexabatur: Quapropter emplastro ex Mastice, Sanguine Draconis, myrrhâ, & Bolo armenâ cum ovi albumine subactis honesta Juvencula Curata est, se remisit enim post duos dies Coccygis dolor; exasperata tamen fuere Tarantismi symptomata: & quûm per integrum diem solitis se exercuisset choreis, per hunc præsentem annum curata est.

HIST. V.

Monaca dello Prete annum decimum octavum suæ ætatis agens temperamenti biliosi, Mense Julio ad meridiem à Tarantulâ appulâ demorsa fuit in sterno suprâ cordis Scrobiculum. Illicò inflata sunt hypochondria, cardialgia vehemens apparuit, præcordiorum anxietates, totiusque corporis refrigeratio: cytharædis absque morâ accedentibus ad saltatus est concitata, lentè tamen saltabat, symptomatibus minimè evanescentibus: Quapropter cytharædorum musicâ non juvante, vocata sunt Tympanum, & Cornamusa, sic vulgò dicta, rustica quidem instrumenta, sed aërem vehementiùs percutientia: violentiùs saltavit: in aquam se totâ immergebat, atque ità per duos dies se exercens, curata est.

Hist.

HIST. VI.

DIe decimaquintâ Menſis Auguſti hujus anni 1728. Tarantula ex rubro nigro alboque variegata colore ſub mammâ ſinixtrâ Angelam Perrone momordit. Illicò præcordiorum anxietates, ventriculi inflatio Cardialgia, corporis totius refrigeratio, ſudores frigidi, vomitus, ſitis moleſta. Accedit tympanum, & cornamuſa, variaſque domi ſuæ abſolvens choreas per Oppidi vias veluti lymphata inſtrumentis eam ſequentibus bacchabatur, viridibuſque quûm delectaretur pampinis, ubique loci ubi ziziphos cernebat (qui ſub Auguſto menſe elegantiſſimè vireſcunt) ibidem conſiſtens majori ſaltabat vi. Veſperè remiſſis quodammodò ſymptomatis totam noctem pervigilem habuit, eademque nocte inſtrumenta convocavit, & varias peregit choreas; iterùmque mane ſequente ſonantibus inſtrumentis, veluti ſurda, & attonita amplius ſaltare noluit, ventriculo tantùm nauſeabundo remanente, cæteriſque ſymptomatis omninò quaſi remiſſis, citrà tamen totius corporis laſſitudinem, levemque ſtupiditatem, quæ ingrediente autumno abiere, & curata eſt.

HIST. VII.

ANna Palazzo Campienſis, quûm à Tarantulâ appulâ circà anteriorem ulnæ partem

tem fuerit demorsa; Ruſtici , qui ruri ſecum erant allio contuſo demorſæ partis vulnuſculum vulgari ſuo more confricarunt : tenue quidem auxilium , nullarum in tali caſu virium, cunctis tamen Apuliæ ruſticis Incolis commune . Nihil verò proficiente remedio aphona illicò facta eſt , profundoque ſomno ſepulta , & quaſi apoplectica nonniſi vulnuſculo in loco demorſo vix apparente : intumuit illi facies, reſpiratio tàm magna , & laborioſa , & tali pacto , tantoque impetu coſtæ elevabantur , & comprimebantur , ut præmagni fabrorum follis ſpeciem Tarantiacæ illius Thorax repręſentaret : intumuit abdomen , inflata ſunt hypochondria , & quandoque per aliquod tempus reſpiratione penitùs interceptâ , virum ſuum, ruſticoſquè ſocios ſuffocationis metu afficiebat . In tali ſtatu miſeram tarantiacam ad Oppidum transferendam eſſe, a viro ſuo , ruſticiſque adſtantibus decretum fuit : illicò factum : ſupra ſuam aſellam exanimem quaſi , & ad inſtar cadaveris Tarantiacam adligarunt . Domumque ſuam regreſſam , ſenſuque penitùs carentem ſuprà lectum poſuere , cytharedo , lyricine , Tympaniſtâ , ob nuncium feſtinanter datum ad concentum paratis : Varia , & ferè innumera tentaverunt modulamina : Tarantiaca tamen in eodem ſtatu permanens, nullum dedit excitationis ſignum . Quapropter dimiſ-

dimissi sunt musici, non absque ipsorummet admiratione, adstantiumque erga Patientem miseratione: Accesserunt tympanum, & fistula, quam vulgo Cornamusam vocant, & tertio, aut quarto, ni fallor modulamine, me præsente tentato, è profundo somno excitata tali impetu, & tàm furiosè ad saltatus se contulit, ut maniacam diceres; delectabatur aquâ, pampinisque viridibus: Secundo saltationis die evasit libera, & convaluit.

HIST. VIII.

URsula Manasi Campiensis Rustica Virgo vigesimum primum ætatis annum agens circà finem Junii anni 1729. horis Pomeridianis Ruri degens, sub frondoso Pyri tegmine obdormivit, & post bihorium à somno excussa doloroso in sinistro femore afficiebatur ardore, corporisque totius torpedine; quibus sic stantibus demorsam videns in femore particulam, & certò certiùs Tarantulæ opus suspicata, graviora prospiciens symptomata proximis Ruris domibus gravi lassitudinis solicitudine affecta, se contulit. Præ parvo itinere valdè defessa, humi residens paululùm acquievit. Illicò in promptu fuere cardialgia, vomitus: horâ unâ, aut alterâ transactâ vomitus suppressus, cardialgia conquievit, femoris dolor evanuit: & tribus

aſſiduis diebus pænitùs ſana; Quarto poſt morſum die dolores in univerſo corpore veluti rheumatici, copioſus alvi fluxus materiæ ſeroſæ, & febris ſupervenere. Vicinam patriam hinc reverſa Medicorum imploratura auxilium, ad ſui morbi curam me ſuſcipiendam vocavit. Infirmam examinavi, quæ præter febrem ex ſe jam manifeſtam, ventriſque fluxus immodicos, cætera, & anteriores tacuit affectiones: febris erat de genere continentium, pulſus parvus, & debilis, cardialgia vehemens, fluxus ventris immoderatus, exanthemata, dolor capitis, lingua arida, & nigra: nonne malignam quiſquis es, qui hanc legis hiſtoriam, febrim iſtam pronunciares? pro tali ad unguem curabam, nullis tamen cedebat remediis; nono febris die horis pomeridianis ad infirmam inviſendam ob ingraveſcentia ſymptomata mater ſua me iterum rogavit. Illicò me illùc contuli: Infirma ſemiviva, color faciei citrinus, pulſus obſcuri, tactus frigidus, reſpiratio exilis, loqui impotens, ſenſûs quaſi expers; ſtatim omnibus juſſi Sacramentis muniri; jam factum: vesperè iterùm juxtà ſolitum infirmam viſitare volens, ſuæ habitationi accedens, tarantatorum muſicam audiebam, quùm adverti in infirmæ domo, in qua paulò anteà luctus erat tot exercebantur tripudia. Curioſus vicinam

cinam ſciſcitavi mulierculam. Infirmam dixit à Tarantula tranſactis diebus Ruri demorſam, mater ſua muſicis explorandam inſtrumentis curavit; Curioſitate motus illam ſaltantem videre volui: Mirum equidem! undenàm vires tantæ? Per biduum choreis indulſit, febris evanuit, & liberata eſt; immò nec convaleſcentiæ ſtatum tetigit, ſed penitùs ſana mihi admirationis fuit cauſa. Et maximopere, nàm alterâ à ſaltatu die ante januam ſuæ domus cum nonnullis ſuis mulierculis inſimul colo, & fuſo induſtriosè, hilariterque ſe exercentem, vidi: & me quaſi deridentem, ceù non valdè callidum ſuſpicatus ſum.

HIST. IX.

Anno 1729. die 20. Menſis Julii horis matutinis, Felix Angeli Pagliara filius in quindecimo ſuæ ætatis anno dum Ruri commoraret atrociſſimo in dextero femore afficiebatur dolore, cujus particulam veluti prunis cremari fatebatur denudata parte paulò ſupra genu rubram excitatam eſſeram vidit, tarantulamque intrà induſiâ latitantem inveniens meritâ damnavit mortis pœnâ, ob morſum ſcilicet inflictum. Quaſi per horæ dimidium per totum corpus ſenſibiliſſimi excitati ſunt dolores, & hinc prẹcordiorum anxietates. Cardialgia vehemens, convulſivi motus;

quibus cessantibus, membrorum torpor: terræ prostratus ululans se volutabat: accurrente vocibus populo, misello auxiliabatur Juveni, quo super asellâ composito, Patriæ, & Patri asportaverunt. Morbo absque Medici auxilio jam cognito, symptomata, quæ adhuc urgebant, musicis convocatis instrumentis, saltatu excitato, per biduum curatus est.

HIST. X.

Retulit mihi amicus meus Valentinus Sang Germanus Herbipolitanus, nō vulgaris famæ Chirurgus in nosocomio hujus Civitatis se juvenculam annum agens vigesimum, ab hinc annis quinque curasse, Ulcere Phagedenico tibiæ dexteræ non minimam partem occupante. Puellæ superioribus annis menstrua defecerunt, & chlorosi laborabat. Ipsamet caussam tamen antiquo tarantismo attribuebat per aliquot annos musica statis temporibus non excitato. Per annum integrum Chirurgus omnia tentavit præsidia internis, externisq; medicamentis, necessariisque auxiliis nullo pacto neglectis. Ulcus semper, & in dies in pejus ibat: imò quoties purgans pharmacum illi propinabat exacerbabatur vulcus. Quapropter de salute desperans Juvencula, Medicum, & medicamenta ampliùs non curans, neque in sanitatis spem à Chirurgo saltem inducta, suam, proximamque patriam adivit. Ubi à mulier-

culis,

culis, non obstante saltandi, immò, & liberè ambulandi impotentiâ, instrumentorum convocatâ musicâ tarantismum excitare fuit inducta: oh frustraneæ in hoc casu artis medicæ regulæ! paucis post saltatus diebus ulcus curatum est, Chlorosis evanuit, & nunc salubrem vitam vivit.

HIST. XI.

D. Nicolaus Perrone Sacerdos Campiensis trigesimum agens annum, quùm obstinatissimâ afficeretur hypochondriâ, appetitus scilicet prostratus erat, decolor, viscerum obstructiones, febris lenta, sed erratica, ructus acidi, hypochondriorum inflatio, & nonnulla alia symptomata acriter illum cruciabant. De affectione scorbuticâ maximoperè timebam, hæc etenim quasi in foribus aderat: magis quâm appositè accommodis illum curabam præsidiis: fortuitò instrumentorum musica, quæ ut ubique fidelium moris est, Eucharistiæ Sacramentum præibat, propè fores suæ domus ad infirmum quemdam tali muniendum Sacramento transiens, mysterium illud adorandi causâ ante fores se cōtulit; è vestigio auditâ musicâ, faciei color mutatus est. Corpus tremore affici, & suspirare incepit. Hâc ab ipsomet ægroto indicatione sumptâ, musicos instrumentarios convocavit; me quoque illic intervenire rogavit,

prorsùs

prorsùs tamen abnuentem, ne me authore negotium illud ſuſcepiſſe aliquis crederet; tandem eventûs curioſitate motus interfui. Variæ tentatæ fuere muſicorum inſtrumentorum proluſiones, fictus tarantiacus non movebatur. Quùm altero audito modulamine ſuſpirare incępit, me præſente, faciei color mutari, & per diei dimidium choreis ſe exercuit, ut verum effingeret Tarantiacum; pręterea morbus non prorsùs evanuit, ſed aliquantulum caſtigata fuere ſymptomata. Poſtmodum variis periclitatis præſidiis evaſit, & nunc vivit incolumis.

HIST. XII.

Dominica Gianfreda Lycienſis honeſta Mulier annorum 39., anno 1728. quùm in Civitate Gallipolis degeret, aſtmate humido laborare cępit, cum febre lentâ continuâ; multa adhibuit præſidia ad ſanitatem recuperandam opportuna, nihil profecerunt, ſed in dies ingraveſcebant ſymptomata, & per aſſiduum triennium ibidem tali exercebatur moleſtiâ: Notabiliora erant ſymptomata, hypochondriorum inflatio, febris lenta continua, tuſſis cum materiæ lymphaticæ, & crudæ excretione, nauſea, appetitus proſtratus, viſcerum obſtructiones, aſſiduuſque mæror. Tunc temporis vicina mulier, ut amicæ, & vicinæ Infirmæ rem

gratam

gratam faceret, ex animo in ſuam proximam invitavit domum, ubi Tarantiaca quędam ſolitis annuis ſaltatibus muſicâ excitatis ſe exercebat: confeſtim Infirma continuis morboſis moleſtiis agitata, relevandi animi gratiâ, annuit, & ad vicinæ domum ſe contulit: muſiciſque proluſionibus mox auditis ſuſpirare cæpit, ad ſaltatus tamen non excitabatur; quapropter rogati Tibicines ad infirmam explorandam, varia periclitati ſunt modulamina; & en quâdam auditâ inſtrumentorum proluſione, furiosè, nec ampliùs ſe contineri ſciens, ſaltavit, ceû vera Tarantiaca, quùm numquàm à Tarantulâ morſa fuerit; & tribus per illum diem ſe exercuit choreis, tribuſque aſſiduis annis conſequutivè ſaltans ab aſtmate curata fuit cum omnium ſymptomatum diminutione; Demùm æſtate anni 1733. ad hanc Lycii Civitatem ſuam Patriam reverſa, quùm iterùm Tarantiacorum more incrudeſcerent ſymptomata, quo tempore quùm à quatuor, aut quinque menſibus utero geſtaret, ſaltare noluit ne abortum faceret: quapropter quùm ſuo tempore pepererit, tranſacto jàm tempore Tarantatis idoneo, poſt puerperium ſaltare nequivit: in medio namque erat autumno, qui frigidiſſimus expertus eſt; incępit enim inſolitum intenſiſſimum frigus die

22 Sep-

22 Septembris abſque intermiſſione. Honeſta mulier antiquorum ſymptomatum recrudeſcētiam experiebatur; ac proindè ne magis incrudeſcerent ſuſpicata, non obſtante frigidiſſimâ tempeſtate, quatuor menſibus à puerperio moleſtiâ plenis toleratis, intrà Januarium hunc menſem ſaltare decrevit: meum tamen explorare voluit conſilium, cui facilem conſenſum dedi; hoc pacto, ut clauſis januis, feneſtriſque omnibus, prunis cubiculum calefaceret; quo facto Tibicines convocavit: Saltabat; duabus choreis peractis cenare voluit appetitu prorsùs reſtituto, exulatâ nauſeâ: per biduum ſe exercuit: omnia ceſſaverunt ſymptomata, & nunc valet.

HIST. XIII.

DOminicus Antonius Falconerius hujus Civitatis Medicus, ex ſuis obſervationibus ſequentem mihi communicavit, quæ quidem ſic habet: Fortunata Maggi de Lycio ætatis ſuæ annorum duodecim Tarantulæ morſum paſſa, ſonu tympani ſaltando uſque ad vigeſimum ſuæ ætatis annum ſe exercuit, & poſtquam benè ſe valere crediderit, ampliùs ſaltare noluit: multis poſt annis quartanâ febre cum articulorum doloribus, & ſcabie per annum aſſiduum laboravit; à multis Medicis curata remediorom ope, ſed omnia in caſſum redundaverunt; Demum

ipſe

ipſe rogatus, fideli relatione auditâ, ſaltatus Tarantiacorum more conſului, & per ſex dies choreis indulgens Patiens, libera evaſit, febre, doloribus, & ſcabie evaneſcentibus.

HIST. XIV.

HOratius Gentile Medicus, & Philoſophus eximius hanc mihi communicavit hiſtoriam, ſequentis prorsùs tenoris.

Franciſca Gennacchari, Puella vix ſeptem nata menſes in Ugianello, meo etiam ſolo natali ortum ſortita, quam æſtivo tempore cum ſegetes reſecarentur ſecum unà Genitrix in agrum bajularat, fuit ad ventrem demorſa phalangio, ùt ipſa mulier oculis accepit. Repentè igitur infantulæ præ dolore impatienter vagientis malo remedium exploratura domum redit: quo miſerrimæ Matris precibus morem gerens properè adfui; puellulamque humi cubantem, & lacrymulis jugiter affluentem offendi; quæ purpureum nigro colore immixtum vultu præſeferens quoquoversùs miſerè ſeſe torquebat. Fidicinem illicò advocari juſſi; qui vario tentato modulamine tandem prioribus jam diſſimilem invenit modum, ad quem illa ſuapte vi, atq; niſu humi conſedit: non enim erat ſurgendo, ac ſtando infantiæ ergò; neque ampliùs illacrymans abſque mora & manus, & brachiola, & caput quatiens incæpit fidium modula-

dulamen concinnè persequi, exilem quoque vocem in a, a, a, a, accommodatè, & ut græci dicunt κατὰ μέρος dividens: Post non parum temporis ad solum se abjecit. Siccos itaque, ac flendo defaticatos ocellulos dulcis somnus occupavit; Et adducta lectulum pluribus sanè horis ità quievit. Idem bis iteratum modulamen: & hoc pacto benè valuit. Nunc temporis duodeviginti annos nata, vitâ, ac salute numeris omnibus absolutâ perfruitur.

HIST. XV.

DOminus Donatus Antonius Riglietta Medicus Messapiensis, Rocci Riglietta Medici eximii Filius certâ epistolâ sequentem mihi contulit historiam: Dominicus de Majo Messapiensis, annum ætatis suæ octavum suprà decimum agens, Rusticus Juvenis, quùm in Campis, suo more degeret, Tarantula in fine Mensis Maii ipsum inopinatò momordit, quem paulatim varia à morsûs die invadere cæperunt symptomata, tali veneno infectis præcipuè communia: Ideoque quùm Musicis se exerceret per triduum concentibus, tertio die atrabilariam egessit materiam; symptomatum eâ propter expertus diminutionem, choreas deseruit, quibus quolibet anno, sex annorum spatio, irremisibiliter indulgebat, eodem adamussim Mense circa dies morsui proximiores tarantulini veneni symptomatibus

bus tunc temporis illum excruciantibus. Ter-
tioque die solutis choreis constans illa mate-
riæ atrabilariæ per annum excretio finem im-
ponebat. Posthac Matrimonio se conjunxit;
& quùm quolibet anno nonnisi mitiorem ex-
periretur symptomatum recrudescentiam an-
nuos neglexit saltatus per quindecim annorũ
spatium, quo tempore stomacho semper ma-
lè affecto, tędiosum insensibiliter potiùs con-
valescentiæ statum, in deterius in dies ru-
entem, quàm pristinæ suæ, & sinceræ sani-
tatis gradum experiebatur; Quùm circà an-
num 1732. Mense Novembris anasarcâ affe-
ctus, totam patiebatur molestiam: cui con-
sulere morbo cogitantes callidi Medici, Do-
natus Antonius supradictus, suusque Pater,
varia illi remedia pręscripserunt: Nihil pror-
sùs his proficientibus, usque ad mensem Ma-
jum anni 1733. in pejus ægroto abeunte nul-
la salutis spes effulgebat: quaderè remediis
non solùm non juvantibus, immò pernicio-
sioribus, facto pluries periculo semper ani-
madversis, ab iis prudentes Medici manus
amoverunt, totum opus solertissimæ naturæ,
rerum omnium magistræ committentes: æ-
groto in tali relinquentes statu, ut non so-
lùm ambulationi, verùm etiam & quibusli-
bet obeundis motibus prorsùs ineptus foret:
Quùm fortuitò juxtà Patientis domum Ta-

rantata quædam, Muſicis inſequentibus inſtrumentis veluti lymphata per vias debacchabatur: Quare auditâ à Patiente muſicâ, illicò erexit ſe, & à lecto deſcendens, per domum ſaltatibus, ſuſpiriis, ſtrenuiſque motibus, admirantibus omnibus, inſtrumentis illùc ſiſtentibus: aliiſque Muſicis continuò ſalutis ſpe convocatis, per octo aſſiduos dies choreis indulſit; ultimo die materiam ſolitam atrabilariam egerens, ſtupefactis Medicis, priſtinæ ſanitati Natura illum reſtituit.

HIST. XVI.

QUùm ſtudiorum causâ in Civitate Neapolis morarer, ubi nullum, ut ajunt, Phalangia virus obtinuere, ſequenti obſervatione contrarium expertus ſum, licet, ut verum fatear curatio abſque muſicâ fuerit abſoluta: A Muliere quadam in viâ Galittæ habitante, quæ in Taberna amentaria pro publico Civitatis commodo varias merces publicè expoſitas venditabat, manè paulò antè Solis ortum vocatus fui: Illi nomen Angela, Juvenis annorum vigintiquinque circiter, temperamento Euſarca paucis ante horis à Phalangio ſaltatore demorſa fuit, Phalangiorum quidem ſpecies, quæ portarum rimas habitare ſolent, & præcipuè, ut mihi oculari inſpectione conſtavit, à Phalangio fuit demorſa ſub tertia ſpecie contento. Morsûs locus brachii

brachii erat flexura: alba illic vesicula statim excitata fuit, & sensim me observante erysipelatosus rubor, à parte morsûs incipiēs, totam occupavit corporis superficiem: Infirmâ in summas angustias redactâ: præcordiorum namque anxietates, suspiria luctuosa, sitis intensa, internus circà præcordia ardor, universalis, licet levis, cutis intumescentia, & febris inflammatoria in promptu fuere: Parti demorsæ teriacam cum allio contuso permixtam admovi, & internè attemperantes præscripsi potiones ex aquâ cichorii, sale prunellæ, lapillisque cancrorum compositas, quâ methodo per octo assiduos dies exactissimè servatâ, febris undecimo evanuit, unâ cum cæteris symptomatibus, & ægrotans decimoquarto die lectum deseruit, quæ ad instar serpentium paulatim denique totam deposuit cuticulam.

HIST. XVII.

FRancisca Lupa Lyciensis Virgo, quùm ætatis suæ annum decimumquintum ageret, ab hypochondriacis affectibus graviter vexabatur, precipuè à febre lentâ continuâ tussi siccâ, cum genarum rubore, & emaciatione; assiduæ erant præcordiorum anxietates, frequentissimæ uteri suffocationes, strangulationes, variaque alia symptomata nullis cedentia medicamentis, itaùt supernaturales crederen-

derentur effectus; quapropter à nonnullis à Dæmone obsessa credita est: Per septem annos à tot vexata solicitudinibus, meum tandem imploravit auxilium: varia, & appropriata illi præscripsi medicamenta, nulla tamen effulgebat salutis spes. Duobus ab hinc annis suæ domi degens, audito cornamusæ, Tibiæque sono suspirare cæpit, suiq; de Taranrulæ morsu suspicari cæperunt; quapropter consultò, me tamen inconsultò, illam ad instar veræ Tarantiacæ explorare voluerunt cornamusæ, tympanique concentibus; variisque ab expertissimis illis Musicis modulaminibus tentatis, Ægrota tamen Musicos, Parentesque suos de vanâ exploratione irridente: nunquam etenim Tarantulæ morsum fuerat passa, altero tandem tentato modulamine, illicò veluti à fulmine tacta, humi cecidit sensûs quasi expers: acriùs proindè sonabant Musici, ægrota suspirare cæpit, & mox ad saltatus provocata miris se exercebat viribus, itaùt quùm per octo assiduos dies choreis indulserit, nono die evasit: nullisq; aliis tentatis medicamentis, optimæ sanitati fuit restituta, fugatis prorsùs symptomatibus omnibus, & nunc benè valet.

HIST. XVIII.

HAud præter rationem musicam variis morbis opitulari creditum est; immò

&

& voria venenorum genera discutere satis comprobatum. Dum etenim Campiis Patriam meam degerem, Dominicus Maci ejusdem Terræ rusticus Juvenis annorum circiter viginti ætatem habens, mane quadam è lecto surrecturus, sordidâ depositâ subuculâ, mundam alteram ab Uxore suâ sibi porrigi curavit, quam sponso porrecturam, quùm ex Arcâ, ubi cæteros lineos pannos asservabat carperet, ulteriori non percitâ diligentiâ, fortuitò vermiculus quidam intrà subuculæ manicam absconditus sub axillâ sinistrâ illum momordit, quem illicò manu captum parvulum vidit esse, tereteemque vermiculum, intrà pannos lineos hic passim obvium, transversi digiti æquans longitudinem, argentei quidem coloris, multipes, facile friabilis, itaùt si leviter digitis confricetur, veluti à Talci pulvere conspersi videbuntur, albo scilicet, & lucido. Statim à morsu pars offensa inflammatione considerabili per Thoracis medietatem se extendente affecta fuit, cum aliquo tumore, doloreque non mediocri. Prestò fuere præcordiorum anxietates, vires prostratæ, lassitudo universalis, pulsus illicò mutatus, turbatusque, viscerum calor, & febris, itaùt è lecto surgere nequiret: meum profectò imploravit auxilium, & libenter ab historiæ novitate motus illùc me contuli,

&

& vermiculi venenum admiratus ſum. Perverſorum tandem effectuum malitiæ conſulturus, alexipharmaco-attemperantia Illi prę-ſcripſi remedia, & per octo aſſiduos dies eadem ſemper fuere ſymptomata; Uxore tandem conjugis ſui ſalutis anxia meâ obtentâ licentiâ, Tarantatorum more muſicis inſtrumentis explorare Illum voluit. Per plures dies veluti verus Tarantiacus ſaltavit. Choreiſque priſtinæ ſanitatis comparatio finem indixit.

HIST. XIX.

BEatrix de Cæſare quùm tranſactis annis, & propriè anno 1721. Brunduſio ſuâ Patriâ moraretur (quam dein ego decem ab hinc annis in Uxorem duxi) ætatis ſuæ vigeſimum annum tunc agens menſe Aprili Scorpionis ictum juxtà nucam paſſa, nullaque in ictûs loco excitatâ veſiculâ, ſed tantùm puncto nigro apparente, pręter repentinum illum terrorem, per tres aſſiduos menſes haud aliud experta eſt ſalutis detrimentum. Decimoſexto tamen die proximi menſis Julii, horis pomeridianis dormiens, à repentino, maximoque horrore cum moleſtiſſimâ frigoris ſenſatione extemplò correpta eſt, vehementiſſimâ febre ſuperveniente, quæ quùm per totam illam diem ſe extenderit, mane ſequente evanuit; horiſque denuò pomeridianis horror, frigus,

frigus, & febris supervenere, hac adamussim methodo per viginti dies febre cum cunctis aliis symptomatibus recurrente: Præcipua erant symptomata capitis dolor, sitis intensa, lingua arida: & presertim assidua, & profunda suspiria, respirationis notabilis difficultas, ob maximam pectoris angustiam, præcordiorumque anxietatem, de qua precipuè conquærebatur; Assistens Medicus Dominus Carolus Bausickius Brundusinus remediorum inspiciens inertiam, morbique obstinationem, nullam de Scorpionis ictu scientiam habens, Tarantulæ tamen morsum suspicatus, ægrotæ Juvenis Parentibus, musicis instrumentis Tarantatorum more explorandam insinuavit: quod quùm ex Medici jussu fecissent, vestibus induta Juvenis, uno inter cæteros audito modulamine, saltare cepit; aquam tamen avidissimè exoptabat, quâ affatim concessâ, totam se intrà ligneum lacusculum aquâ plenum ex consilio in Camerâ choreis destinatâ locatum immersit: singulisque choreis per octo assiduos dies hoc servato more, febre prorsùs evanescente, evasit incolumis; Quolibet tamen anno à scorpionis ictu, æstivis caloribus urgentibus, à symptomatum recrudescentiâ vexata, choreis se exercens evadit immunis. Licet paucis ab hinc annis chorearum ægrè ferens labores, & incommoda, ab

bis se abstinet; quapropter malè colorata assiduè observatur.

HIST. XX.

SEquentes duas historias ab Amicissimo meo Domino Michaele Miglietta, Medico Tripudiano, in observationibus exactissimo, hìc reponere, non incongruum putavi: Quarum prima Vetulæ cujusdam Tarantismum enunciat: Agatha sc. de Rinaldis Tripudiana, annorum septuaginta circiter, à pluribus annis surdastra jam facta, à Tarantula quâdam fuit demorsa circà annum 1725 tempore æstivo: Illicò præcordiorum supervenere anxietates, viscerum dolores, ventris intumescentia, & veluti à flatibus distensio; A tot, tantisque vexata solicitudinibus, genuinum, & infallibile Tarantismi remedium, instrumentorum scil. musicam convocari curavit, quùm operam choreis jam navare decreverit: Sed præ surditate, quæ minor tunc temporis advertebatur, ob majorem forsan fibrarum tensionem, ut superiùs dictum est, semper propè Musicos, capite inter instrumenta musica collocato, saltare cogebatur. Tali pacto trium dierum spatio se exercens sana evasit: viribus ætati superioribus, admirantibus omnibus, qui curiositatis causâ ad vetulæ domum se contulerunt, ut illam suprà vires saltantem admirarentur.

HIST. XXI.

ANtonius Renna annorum sexaginta sex circiter, anno 1725. in pollice pedis demorsus, præcipuum symptoma illicò ipsum invadens, ut ipsemet suo narravit Medico prædicto Domino Michaeli Miglietta, hoc adamussim fuit. Nudum pedem Rusticus Senex calceo muniens, in pollice veluti à spina pungi credidit: pedem proindè statim à calceo removens, Tarantulam intrà calceum inventam, puncturæ illius causam fuisse, certò certius cognovit, mortique illam profectò damnavit: sensibili quodam motu, successivè à morsus loco per tibiam, & crus, & hinc per totum corpus, frigidum quoddam internum excurrere sensiebat, & statim veluti repentinè occisus, humi cecidit, sensibus omnibus quasi destitutus, sola respiratione, unico vitæ signo superstite. Rustici Socii accurrentes, illum morti proximum existimabant, quem ad proximum conduxerunt oppidum; Tripudium sc. suam Patriam, sensibus tamen aliquântulum acquisitis; in suâ jam collocatus domo, musicis convocatis instrumentis, multisque modulaminibus expertis: altero tandem audito modulamine, strenuè saltare cæpit; Chorearum beneficio per duos dies assiduos veneni symptomatibus exulatis, pristinæ Æger sanitati fuit restitutus.

HIST. XXII.

ANna Theresia Solazzo Lyciensis Œnopolæ Uxor annos nata triginta, per plures annos choreis se exercuit in Tarantismo solitis : nam à Phalangio quodam olim demorsa, more solito sic annuatim curabatur: Anno tamen 1738. juxtà Decembris pricipiū frigidissimâ tempestate vigente, renuente suo viro, consuetas deseruit choreas; paulatim appetitûs prostratio, viscerum obstructiones, & Ascitis supervenere; ad talem quidem gradum Ascitis excreverat, ut nonimestrem gravidam putares: Ad omnia prætereà impotens corporis exercitia, in lecto jacebat. A variis Medicis varia tentata fuere præsidia: vanus tamen omnium remediorum exitus: nulla verùm de Tarantismo fiebat mentio: & intereà honesta mulier, nullâ salutis spe munita, nil nisi proximum expectabat suorum dierum terminum. Quùm bono suo fato me propè suam transeuntem Domum, Nobilis Vir D. Jo: Vincentius della Ratta, ex naturali suâ motus ergâ misellam pietate, ad illam visendam vocavit, & simul mulieris illius domum adivimus: ex Infirmâ in tali statu constitutâ desperati morbi audivi relationem: sed quùm inter alias, quas assignabat causas, antiquum memoravisset Tarantismum; quod quùm more quidem solito, suo renuente

viro,

viro, tranſacta æſtate choreis non excitaſſet. Me cautiorem reddidit, morbi obſtinatiſſimi cauſam Tarantiſmum credere, & morbi obſtinatiſſimi remedia, Tarantiſmi remedia tentanda fore. Nobilis intereà Vir, meo pronunciato & audito conſilio, pietate, & exitûs curioſitate ductus, pro Muſicorum diſpẽdio, volente, nolente Infirmæ viro, opem ſuam exibuit; jam decretũ, & factum: & non obſtante hyemis rigore, igne priùs cubiculo calefacto, clauſis januis, luminibus accenſis, Muſicis convocatis, per triduum choreis Infirma indulſit. Poſt triduum benè appetebat, & ſana prorsùs evaſit; nunc vivit, & benè valet.



CAPUT

CAPUT XV.

De Tarantulini veneni Natura: & quomodo inflicto à Tarantula vulnusculo Corpus afficiat.

IRritata Tarantula, vel ut aliquibus placet Observatoribus, non irritata, suos forcipes ori aptans salivâ imbuit, hominisque denudatæ parti infigens, vulnusculum excitat, minimamque demorsam particulam veneno polluens, fidem prorsùs vincentia in toto corpore parit symptomata. Quis credet? statim, vel paucis à morsu horis elapsis, ardor in demorsâ particulâ, cordis anxietates, ventriculi, & hypochondriorum inflatio, dolores circà præcordia, ardor viscera veluti adurens, sitis intensa, aphonia, lipothymia, viscerum dolores, lassitudo universalis, & dolorosa, articulorum, & præcipuè genuum inconstantia, habitûs corporis refrigeratio, sudores frigidi, suspiria interrupta, respiratio difficilis, & alia hujus generis in promptu sunt; ex quibus vel multa simul ægrum excruciant, vel unicum tantùm symptoma totis viribus urget. Tractu tandem temporis nonnullos Tarantiacos variæ morborum species exercent: ut plurimùm Chlorosis perpetua, interdùm tumores scirrhosi viscerum, Cardialgia, Hydrops, perti-

pertinaces viſcerum obſtructiones Arthritis, cibi faſtidium, vomitus, & ſexcenta hujuſmodi alia ſymptomata: ex mutata ſcilicet ſolidorum texturâ, necnon liquidorum omnium diatheſi, provenientia.

In mea praxi omnia hæc ſymptomata Tarantatos extrà paroxyſmi tempus vexantia obſervavi, nullis cedentia medicamentis, niſi muſicæ tantùm opportuno tempore concentibus: præter tamen inveteratam Chloroſim, tumoreſque ſcirrhoſos viſcerum: hi duo morbi nec medicamentis, nec muſicâ unquàm profligari potuerunt.

Non omnia Phalangia, licet ejuſdem ſint ſpeciei, in ſubiectis ab illis demorſis eoſdem pariunt effectus; benè tamen variant pro variis corporum conſtitutionibus: Quaderè evidentiſſimè ſæpiùs obſervavi Tarantiacos ab ejuſdem ſpeciei Phalangiis demorſos ad ſaltatus non excitari eâdem inſtrumentorum ſymphoniâ, ſed duo ut plurimum Tarantiaci ab ejuſdem ſpeciei Phalangio offenſi differentibus inter ſe modulaminibus ad ſaltatum incitentur, & interdùm à variæ ſpeciei demorſi Phalangiis, uno, & eodem muſico imſtrumentorum modulamine ſaltant.

Tarantulinum venenum ex ſuperiùs dictis liquorem illum eſſe, quem ſalivam appellavimus, jàm ſatis conſtat: & illum præ-

cipuè

cipuè, qui circà Phalangiorum omnium os solet observari, & in salivali conservatur capsulâ: Rationes tamen, quæ paulò inferiùs à me sunt adducendæ, & ex medicinæ Infusoriæ clarissimis experimentis erutæ, in illam me cogunt sententiam: Tarantulinum venenum, sicuti, & Viperarum, nonnullorumq; reptilium, & insectorum, venenata vi penitùs carere: viperinum etenim venenum intrò assumptum non occidit, nullaque alia perniciosa adfert symptomata, ut ex Francisco Redi habemus: Caput Serpentis caudisoni citrà noxam à Sue comeditur: Scorpius à Mure: Tarantulæ, & Scorpiones à pullis gallinaceis gulosissimè, sed impunè devorantur; Ac proindè ista animalia venenosissima esse jam satis innumera testantur experimenta, si in cute morsum infligant; Nec magis venenosa erunt Viperarum, Tarantulæ, Scolopendræ, aliorumque Reptilium, quæ morsu offendunt venena, quàm oleum commune per venam infusum, aliique innocui liquores, quos nominatim ex infusoria medicina mox in medium afferam; quaderè sicuti liquores nonnulli per os ingurgitati salubres sunt, & per venam infusi perniciosissima, & lethifera evadunt venena: ità à pari vipereum tarantulinum, salamandricum, & aliorum reptilium venenum devoratum, innocuum

cuum est, ictu vero, vel morsu per cutim introductum perniciosum, & lethale.

Phalangiorum venenum per cutim morsu inflicto introductum ob summam particularum; seu spiculorum tenuitatem altiùs nervosas corporis partes penetrat, liquidis omnibus substantiis usque ad intima permixtum, & per totum corpus tali pacto diffunditur; & hinc deducitur ratio majoris, vel minoris venenorum per cutim morsu introductorum activitatis: ob particularum scilicet venena componentium majorem, vel minorem tenuitatem, peculiarem figuram, magnitudinem, & soliditatem, sicuti ex infusoriâ habemus spiritum vini rectificatum citiùs occidere Animalia; quàm oleum olivarum per venam infusum: Opium in aquâ solutum, & per venam simili pacto infusum, tardiùs interimit ob rationem mox adductam. Tarantulini veneni spicula omnia corporis vascula unà cum liquidis pervadentia, angustissimas fibrarum oscillantium semitas rectà pergere nequeuntes, ob canaliculorum incurvationes, declinationes, & contorsiones, generali humani corporis fabricæ necessarias, & concinnè efformatas, in tubulorum angulos, & incurvationes offendunt; obstat tamen, acuties, nè per curvam, motûs eamdem prosequātur determinationem: & tanto minùs in

T cana-

canaliculis angulosis motus determinationem juxtà eorum angulos mutare nequeunt, alteriusque lateris excurrere rectitudinem; ac proindè nec etiam poterunt versùs motus principium reflecti; Nam quùm acutissima sint Tarantulini veneni spicula, & solidissima, ut ex corporis linospermoidei conjecturavimus texturâ: nerveos tubulos à rectâ declinantes viâ offendentia, non reflectuntur, nec ullam aliam motûs determinationem sumunt: sed in villorum, fibrillarumque interstitia se se insinuant veluti totidem cunei, ac proindè tenduntur nerveorum tubulorum fibrillæ ob cunei vim; Quibus tensis, motuum oscillatoriorum tempora coarctantur, sed in illis tantùm fibrillis, quæ cuneolorum patiuntur insertiones: ac propptereà in istis tantùm oscillationum coarctantur tempora: & in quocumque cuneolorum insertionis puncto fit veluti centrum motûs cujusdam, qui per aliquantulum impeditæ fibrillæ spatium cum acquisitis novæ motûs determinationis momentis tantummodò celebratur.

Quùm insuper non omnis cuneolorum insertio similis sit ex eo quià non omnis incuneatio est totalis cunei in fibrillarum interstitia immersio: nec omnes fibrillæ æquali gaudeant naturali tensione, sed harmonicâ, & proportionali, ob motuum in corpore obeun-

eundorum harmoniam, non omnes fibrillas æquali vi tendunt, & contrahunt: ac ideò nec omnes tali fubfiliunt robore, nec iifdem ofcillationes explent temporibus; ita ut propriæ moli, ponderibus fubftinendis, corpufculifque ultrò cogendis apta correfpondeant proportione: nec proportionales canaliculorum diametri, à fummo rerum Conditore tàm concinnô fabrefactorum artificio, naturalem obfervare poterunt menfuram: atque hinc deducitur, placidam, naturalemque liquidorum omnium circulationem, & aëreo fpirituofarum, tenuiffimarumque fluidi nervei particularum curfum ex Hydroftaticæ legibus perturbari neceffariò debere, & aliquam pati motûs retardationem; quibus præconceptis rationibus, quùm vafa omnia liquidorum reditui deftinata, debiliori, quàm par eft robore liquores contentos versùs Cor cogant, in tali fibrillarum atoniâ non poterunt totam liquidi quantitatem unicâ introductam diaftole, unicâ fiftole ad cor transfundere: fed novo ex arteriarum fiftole liquido fuperveniente: fuperfluo venæ quo gravantur liquidi pondere compulfo, expanduntur venarum tunicæ ob majorem quàm fatis eft refidui liquidi contenti, & regredeuntis quantitatem; ficuti & arteriarum, obftante fcilicet refiftentiâ in Anaftomofeos termino, ubi arterio-

sus cruor veluti ad motûs reflexionem inclinans, quamdam resilientiæ speciem, in arteriarum tunicis producit, & per consequens eodem temporis momento novo sanguine à corde impulso, arteriarum quoque tunicæ magis expanduntur: Atque hinc à reiteratis tunicarum expansionibus, earum fibrillæ non parùm naturalis, & pristinæ amittunt elasticitatis.

Quùm verò, ut superiùs dictum est, nè omnes nervearum fibrillarum morbosæ tensiones sint proportionaliter tensæ, æquum est, ut vascula omnia ab istis fibrillis ità inconcinnè tensis, talique affectis infortunio composita, nec etiam queant proportionales observare diametros: aliæ namquè diametri ob robur inæquale partium, ut cum Hippocrate loquar, extrà mensuram expanduntur: constringuntur aliæ: aliqua vascula abreviantur, elongantur alia: ex nerveis, membranaceis, muscularibusque fibris aliquæ valdè curvantur; quaderè nec validas poterunt exerere oscillationes: nec vibrationum numerus consueto dati temporis numero correspondere. Aliæ validissimè tenduntur, & ob eam rem numerosiores in eodem tempore edunt oscillationes: Oscillationum verò vibrationes quùm brevius percurrant in oscillando spatium, contenta liquida non poterunt tàm ultrà impel-

impellere, nec reliquas solidorum resistentias, vel æquare, vel superare, aut ab illis superari, si talem à Naturâ sortem adeptæ fuerint, ad corporis universi œconomiam servandam.

Quis igitur non videt ex tali naturalis ordinis in humano corpore confusione, notabilem œconomiæ Animalis perturbationem necessariò oriri debere? æquilibrium inter solida oscillantia, & fluida discurrentia corrumpitur, & perturbatur à minima illius veneni Tarantulini quantitate; Quod tali pacto Tarantati corpus afficiens, evidens est sanguinis circulationem retardari, vel in ipso morsûs momento, vel paulò post, vel paulò tardiùs, juxà majorem, minoremve veneni activitatem, corporis demorsi temperiem, particularem texturam, Phalangiique mordentis speciem activiori, vel hebetiori scatentis veneno; solidorum itaque libertate motûs impeditâ, & aliquantulùm retardatâ sanguinis circulatione, ob oscillatorii solidorum motûs confusionem, respirationis difficultas in promptu est, frequentissimum, vel in ipso actu morsûs, vel paulò post, Tarantatorum symptoma; utiles quoque succi in peculiaribus corporis cavitatibus præfixis non secernuntur temporibus; Liquidi secernendi principiorum impeditur præpara-

tio

tio: quæ ſanguinis circulationis, ſolidorum vibrantium, & oſcillantium, necnon particularum aëris elaſtici, carcerem particularum liquidi deſerere vim facientis, præcipuum, & peculiare eſt opus: nullis intervenientibus fermentis, quorum & ipſamet vox rationibus magis, quam verborum certamine obſolevit. Inſuper ob tot fibrarum, villorumq; inordinatos labores placida ſanguinis circulatione impeditâ, cocti perſpirabilis intercipitur tranſitus ex Sanctorii ſtaticâ de ponderatione, Aphor. 49.: materiæ itaque perſpirabilis tranſitu impedito, gravatur machina, nam major liquidi, quàm par eſt copia per aliquod tempus vaſorum expandit diametros, liberasque fibrarum impedit oſcillatorias vibrationes, undè major circulationis retardatio: ex quâ liquidorum condenſatio neceſſariò excitatur, ob promptiores minimarum liquidi particularum cohæſiones, craſſarumque, ex motûs defectu, non ſequutam diviſionem: liquidæ igitur corporis ſubſtantiæ tali diatheſi affectæ, membrorum torporem inducunt, appetitûs defectum, univerſalem corporis laſſitudinem; & tractu temporis glandularum obſtructiones, tumores viſcerum ſcirrhoſos, & ſexcenta hujus generis alia, quæ ſi particulatim explicare vellemus, in immenſum creſceret oratio.

Varia & notiſſima ſunt venenorum genera,

ra, quæ hìc recensere superfluum existimavi: Phalangiorum verò venenum (de quo hujus loci est pertractare) tales habere vires, ut tot & tanta pariat symptomata jam clarè constat: notandum verò necessarium duxi, quod Fridericus Hoffmannus in Medic. ration. systemat. tom. 2. cap. 2. de venen. §. 6. adfert: *Neque insectum, neque ullum aliud Animal in se est venenatum, sed maximè eorum ictus, vel morsus vim veneni obtinet; siquidem tunc demùm venenosam naturam induunt, quando irà vel rabie, quæ extrema, & continua irascentia est exagitantur.* Sed contrà hoc Hoffmanni assertum Baglivus dissert. de Tarant. cap. 5. ait: *hoc unum scio per Authopsiam: Tarantulam vigilantes æquè, ac dormientes, irritatam, vel non irritatam semper mordere, & semper venenatam labem afferre.* Ex variis tamen relationibus Tarantatorum hoc Baglivi assertum tuto judicio confirmatum non habui.

Sed quomodocumque sit, juxtà meam sententiam nil facit ad rem; nam licet Insectorum vulgò dictum venenum virus quoddam sit, quod per inflictum vulnusculum altiùs repens, omnes exerat vires, & funestissima pariat symptomata: Re tamen intimiùs consideratâ, non præter rationem ab Hoffmanno innocua Insecta omnia pro venenatis vulgò habita, existimata fuere: ratio verò ex alio fonte

fonte desumenda est, & non ex irâ, rabie, vel irascentiâ, ut ipse loquitur: *Insectorum verò venena, quæ morsibus infliguntur, si talia absolutè dici mereantur, sui juris venena sunt.* Non enim semper, & quolibet modo usurpata venena ista, talia semper existunt: Interiùs namque assumpta ferè sunt innocua, ut constat ex vulgatissimis diligentissimi Francisci Redi experimentis super Viperæ veneno factis, & candidissimi Laurentii Magalotti. Viperarum namque ictus, quemnam quæso latet, perniciosissimos esse? Et tamen viperarum venenum per os ingurgitatum innocuū experitur: Cave tamen ne periclitantis os ulcere quodam, vel simplici sauciatum sit excoriatione. Viperarum venenum juxtà gingivas dentium caninorum in quibusdam conservatur vaginulis, è quibus ictùs actu effunditur, quod non semel inveni, & demonstravi eruditissimo, & Excellentissimo Viro D. Gabrieli Enriquez Quintiani Principi: quod innocuum multis experimentis à variis confirmatur Authoribus per os ingurgitatum, ut ex Redio habemus, & Magalotto à suis viperariis facto periculo. *Vipera in vino suffocata* vulgatissimum dat remedium in Elephantiasi, de quo Galenus refert historiam in lib. Isagog. de subfiguratione empiric. cap. 12. pag. mihi 33. liter. H, quod tamen licet nullius ex per-

tum

tum sit efficaciæ ab aliis medicis ad Elephantiasim debellandam, nihilò tamen minùs nullâ illos noxâ affecit, cujus rei exempla in meâ praxi plusquàm singula observavi in nonnullis Leprâ Arabum affectis, qui remedium hoc spe salutis ducti avidè, sed impunè ingurgitabant. Serpentium igitur, & Insectorum appellata venena absolutè venena non sunt: nàm propinata non interficiunt, per cutim verò ob morsum introducta, necant. Quaderè non solùm homines, & bruta Viperarum ictus interficit, sed sibimet ipsis perniciosus est: nihil obstante veneni illius in ipsarumet corpore generatione: contrà Galenum qui lib. de inæqual. intemp. sect. 3. pag. mihi 44. lit. C. ait: *At homo hominem non interimit, nec Vipera Viperam, nec Aspis aspidem, siquidem quod simile est, id congruum, amicumque est; quod contrarium est inimicum, ac noxium*. Adversatur etenim experientiæ sub die 10. mensis Maii factæ ann. 1720. à Duce Hall, & Equiti Hans Sloane Baronetto Medico Regio Communicatæ, ut in transact. Angl: De serpente Caudisono sex circiter palmorum longitudinis, qui postquàm varios ictu canes interfecerit, & feles, Serpentem nigrum, & pullos gallinaceos, spatio paucorum minutorum: Dux Hall curavit, modumque invenit, ut Serpens sibimet ipsi ictu posset officere: jàm factum: ictu seipsum

Serpens vulneravit ; & octo, vel tutiùs duodecim ab ictu minutis obiit. Dux Hall Serpentem in frusta redegit, & unâ cum capite Sui cuidam comedendum dedit; comedit Sus, & benè se habuit.

Et hæc est Insectorum veneni vis, ut per cutim introductum noceat: per os sumptũ innocuum sit. Sed horum venenorum species propriè vera venena non sunt, quùm aliquo modo propinata, veneni naturâ penitùs destituãtur. Præterea innumera hujus farinę habemus mixta, quæ quùm prorsùs vi careant venenatâ, si modo quodam intromissioni veneni Insectorum analogo in corpus introduci curentur, non solùm veneni lethalis producent symptomata, sed mortem ipsam: ut varia testantur experimenta ex *medicina infusoriâ* deprompta. Ubinàm vis deleteria in sale armoniaco? & tamen in aqua calida solutum, & cani per venam infusum convulsionibus ad extremum fatigato mortem illicò attulit. Idem repetito periculo alteri cani evenit, qui post paucos ululatus, & convulsiones obiit. Spiritus vini camphoratus alium canem subitò interemit. Innocentissimum oleum commune in alio cane ululatus excitavit clamorosos: mox quamdam Apoplexiæ speciem: postmodùm convulsivos motus in palpebris, scotomiam, motûs deindè, & sensus priva-

privationem: humoris aquei ex ore excretionem, & interdùm ſanguinolenti: tribus demùm ob injectione horis elapſis canis mortem obiit. Alium canem major olei quantitas injectione per venam introducta illicò peremit. Aliumque canem eadem olei communis quantitas unicâ horâ elapſâ è vivis eripuit: quùm aliàs experientiâ conſtet canes integras olei libras, guloſiſſimè ingurgitare: Hæc experimenta à Domino Courtenio anno 1679 facta in Tranſactionibus Philoſophicis anglicis diffuſiùs legi poterunt, præter varios alios Authores, qui de infuſoriâ nonnulla ſcriptis mandaverunt. Prætercam hìc experimenta cum aliis liquidis deleteriâ vi non carentibus ab eodem Courtenio, Baglivo, & aliis per infuſoriam patrata; Talia ſunt, quæ cum vino emetico: decoctione hellebori albi: Opio in aqua ſoluto: Decoctione Nicotianæ: vitriolo albo in aqua ſoluto; ſpiritu vitrioli: ſpiritu ſalis &c. periclitata ſunt: ex quibus Canes, & feles obiere.

Ex his clarè patet ſupradictos liquores in Canum venas infuſos non deleteriâ, & venenoſâ vi ipſos interficere, & tot efferorum ſymptomatum congeriem producere: Sed ſolo internæ Corporis Compoſitionis fibrarum contactu, longè diverſo ab illo liquidorum, quæ per animalium prędictorum

vasa discurrentia, tam placidâ, & concinnâ illa afficient tactione, ut pondera ponderibus, vires viribus, resistentiæ resistentiis, potentiæ resistentiis, motuum tempora temporibus tali inter se correspondeant harmonicâ proportione, ut œconomicum illum ordinem in animalium illorum machinâ à tot, & tam diversis machinulis composita ortum admiremur, & per consequens ab istius ordinis perturbatione juxtà magis & minus, aut leves, aut graves morbi, aut tandem mors ipsa sequatur.

Atque hinc veluti corollarium eruitur, quæstionem illam resolvens: quarè Viperæ venenum haustum: Caput Serpētis caudisoni à Sue commestum, nullam noxam induxerint: ob figuræ scilicet mutationem particularum veneni in ventriculo passā, è quo cum aliis permixtum liquidis, cum chilo scilicet, vel linphâ salivali stomachicâ, ad vasa defertur lactea, pluresque adeptum cum cæteris liquidis præparationes, liquidorum corporis naturæ se assimilabit, vel saltem fiet analogus: similibusque, vel analogis solida contactibus urgens, nocere nequaquàm poterit. Quod accidere non potest si per inflictum introducatur vulnusculum, per quod immutatum prorsùs ingrediens, solidas partes rudiori, peregrino, & exotico, ut ita dicam, contactu afficiens, earum

earum motûs ordinem evertit, & massæ liquidorum corrumpit, & perturbat principia: ut ex infusoriâ innocentibus liquidis celebrata clarum est. Nam aqua Saccharata: Urina tepida: Vinum album: Sal urinæ in aqua dissolutum: aqua gelida: per venam Canibus singula infusa, licet variis illos exercuerint symptomatibus, neci tamen tradere non potuerunt: ob quamdam forsan cum liquidis corporis figurarum, & specificæ graduum gravitatis analogiam.

Sed ne tàm perditè in venenorum explicandis phænomenis immoremur, & ne à proposito argumento unâ, vel alterâ unciâ, aut pluribus aberremus lapidibus; ab altiori mentem revocemus indagine. Patet jàm ex dictis, venena partes nervosas, fibrosasque spasmodicè afficiendo, interficere: liquidasq; substantias non primariò, sed secundariò lædere, ut ex innumeris observationibus de Brutis, & Hominibus veneno peremptis constat: ac proindè plus roboris habent intrà cutem per vulnus introducta, quàm longè majori dosi per os assumpta: nàm exoticus ille contactus appellati veneni, per morsum, ictum, vulnusque intrà cutem admissi, nudas fibras immediatè contingit, & irritat: per os verò assumpti licet in dosi majori, à muco internam ventriculi, & intestinorum superficiem

ciem obducente, ejus impeditur actio; à ſuccis inibi extillantibus pervertitur particularũ figura: ac tandem tali transfiguratione affectum, corporis Canaliculos cum aliis liquidis permixtum permeans, nullam corpori læſionem inducit.

Atque hinc nulla erit major ratio cur viperinum appellatum venenum, aut tarantulinum, aut aliud ſimile, talibus debeant infamiæ notis inquinari, minimè verò oleum commune, quod ſi modo venenis morſu inflictis analogo in venam introducitur, mortem quoque inferre jàm ſatis conſtat ex experimentis ſupra allatis. Quaderè ſi oleum commune poſt tot pernicioſa experimenta in Canibus per infuſoriam patrata à nullo, quem ſciam, Authore veneni nomine dedecoratum eſt: ita à pari Viperinum, & huic ſimilia appellata venena, ſi per os aſſumpta innocua experta fuere, ab ignominioſis antiqui vocabuli maculis exui, ex jure, & juſtè factum arbitrarer.



CAPUT

CAPUT XVI.

De Periodicâ, annuâ Tarantismi Recrudescentiâ.

NOn tàm facilem aggrediar Provinciam: Periodica Tarantismi in qualibet æstate Recrudescentia hic exponenda.

Multaque in his rebus quæruntur, multaq; nobis Clarandum 'st, planè si res exponere avemus.

Sic Lucretius de rerum naturâ lib. 4.

Superiùs diximus cap. præcedenti, Tarantulini veneni spicula per inflictum vulnusculum intrà vascula admissa, harmonicam fibrarum tensionem inregulariter depravare: tensas scilicet magìs tendendo, & veluti tonicè convellendo: & laxas laxiores reddendo, ob vim, quam proximiores valdè tensæ fibrillæ in tendinosa laxarum principia, conatu quodam concursûs utrinque inferentes, invicē accedere cogunt earum capita: àc proindè antagonistarum perturbantur contranitentiæ: & oscillationum numerus, tempora, & vires, mutuâ pugnâ naturalem harmonicum dextruentia ordinem, totam animalem œconomiam invincibilibus angunt insidiis.

Fibrillæ interim, quæ ob rationes superiùs allatas distensionem validissimam passæ fuere, tenuissimis aliquibus ex innumerabilibus earum villis disruptis, aliquibusque magis extensis, plus justo elongatæ, validas impo-

sterùm

ſterùm in tali permanentes ſtatu; edere nequeunt oſcillationes: ac propterea earum robore labefactato, in atoniam chronicam habitualem incidunt, liberum humorum circuitum impedientem, variiſque liquidorum ſtagnationibus anſam præbentem: undè viſcerum obſtructiones, cachexiæ, & varii hujus generis morbi ſuperiùs memorati ſuos mutuantur natales. Laxiori itaque reddito fibrarum corporis ſyſtemate, majori indigent fluidi copiâ, ut in ſuâ naturali conſerventur tenſione, proportionalibus viribus ſcatente; ut eâ ratione oſcillantes fibrillæ reſiſtens liquidum tali vi poſſint compellere, ut mutuis cum liquido viribus, impulſibus, & reſiſtentiis, omnia exerceant munia, ad œconomiam animalem conſervandam naturali ordine facientia, Triturationes ſcilicet, traſmutationes, ſecretiones, nutritivarum partiū preparationes, & oppoſitiones, ſolidorum molis augumentationes, excretiones diverſas, ut urinæ, ſtercoris, ſalivæ, muci, lachrymarum, & materiæ perſpirabilis, quæ inter alias abundantior eſt, ut omnibus ex ſtaticâ Sanctorii jam ſatis conſtat: Quorum excrementorum materia ſi intrà corpus plus juſtâ detineatur quantitate, morbi fiunt: non tamen ob materierum vitium, ſed ob illarum quantitatem, quæ debitam ſuperat menſuram,
Nàm

Nàm ſicuti minor liquidi quantitas vaſa nõ ſatis tendens, laxiora illa reddens, oſcillationes debilitat, ſic liquidorum exſuperantia vaſa valdè tendens, liberiores impedit ſibrarum oſcillationes: quaderè in humanâ machinâ motuum in ſolidis deperditur harmonia, & cum liquidis proportionales vires, & mutuæ reſiſtentiæ depravantur.

Debent igitur in tali eſſe virium ratione corporis univerſi particulæ, ut ſolidorũ oſcillantium vis ſemper aliquantulùm ſuperet liquidorum reſiſtentiam, itaùt tranſmutationes, & quaſi tranſubſtantiationes, ut ità dicam, excretiones, ſecretiones, & functiones aliæ, quæ in corpore fiunt, ritè poſſint exerceri: & quùm propemodûm fibrarum oſcillantium vires, ab earum peculiari dependeant tenſione: in eadem erunt ratione fibrarum tenſiones cum liquidorum reſiſtentiis, ac oſcillationum robur cum fibrarum tenſione. Quaderè fibræ laxiores redditæ, quùm minùs habeant roboris, quàm requiritur, reſpectu liquidi reſiſtentis, & ultrò cogendi: liquidorum debitæ preparationes depravari rationi conſonum eſt; ac propterèa tam ratione ſolidi debilioris, tam ratione liquidi non ritè præparati, perſpirabiles particulæ in minori excerni debebunt quantitate, & ob earumdem inopiam,

& ob ſolidorum oſcillantium roboris defectum. Quùm verò in frigidis tempeſtatibus inſenſibilis tranſpiratio diminuatur, ex ratione credendum eſt, liquidorum molem aliquantulùm augeri, ac propterea turgidiuſculis factis vaſculis, validiuſculâ fruentur fibrillæ omnes tenſione, ut poſſint feliciùs oſcillare, & corpus propria pondera faciliùs ferre; & tali modo frigidæ tempeſtates in Tarantiſmo naturaliſſimum ſunt remedium; nàm quùm tunc temporis validiores fiant fibrarum corporis oſcillationes, vegetius corpus reddetur, promptiores actiones externæ fient, & vivaciora omnium ejuſdem particularum, & organorum celebrabuntur exercitia: ac propterea nulla erit ratio, cur in temperatis, & frigidiſſimis tempeſtatibus debeant Tarantiſmi apparere ſymptomata: quæ ſicuti pedetentim autumno adveniente diminuuntur, & ad hyemem progredeunte prorsùs evaneſcunt; Ità è contrà Vere incipiente paulatinis paſſibus ſe prodere incipiunt: ad æſtatem accedente, creſcunt: urgentibus tamen ardoribus, & prçcipuè in calidioribus illius tempeſtatis diebus, omnem oſtendunt ferociam: Hyeme verò penitùs deliteſcunt; Nàm quùm Vere adveniente ſolvi, & fluidiora reddi incipiant corporis liquida, minùs reſiſtent oſcillationum ictibus, ac proindè

indè ad majorem diſtantiam ab eodem impulſu ob vim percuſſionis coacta, licet promptiora videantur ad functiones, quibus nata ſunt, in corpore obeundas, ob particularum tamen ulteriorem attenuationem magis augebitur perſpirabilis materiæ quantitas, & facilior ejuſdem per cutis porulos promovebitur evaporatio: ac eapropter diminutâ liquidorum maſſâ, & laxioribus corporis fibrillis ſenſim redditis, & præcipuè ineunte Æſtate, in qua perſpiratio inſenſibilis abundantiori celebratur quãtitate, naturales corporis functiones labefactari incipiunt, & eâ præcipuè æſtatis die, ſi qua calidiſſima eſt, non parùm à naturali aberrant conſuetudine; immò in ferventiſſimâ illâ tempeſtate liquidis omnibus, ex aëris calore percitis, non parũ efferveſcentibus, ob fibras laxas, vaſorum tunicis non valdè reſiſtentibus, quùm majus ſpatium debeant occupare, tàm turgida reddent vaſcula, ut ex eorum fibrillis juxtà majorem, vel minorem reſiſtentiam, vel robur, aliquibus valdè tenſis, compreſſis à vicinarũ turgeſcentia nonnullis: in illis oſcillationum augebitur numerus, ſed diminuetur incurvatio, & ſuper liquidis ſolidorum percutientes labefactabuntur actiones; in his ob compreſſiones impedientur oſcillamenta, & vibrationes. Et hinc deducitur conjectura pro ſymto-

marum explicatione in Tarantiſmo ſingulis æſtatibus ſe manifeſtantibus: & veluti corollarium eruitur evidentibus onuſtum rationibus, liquidorum ad coagulationem tendentium probans diatheſim: quæ tandem ſolidis oſcillantibus impedimento ſunt.

Et hæc eſt illa vulgata veneni recrudeſcentia, quæ præter duo vocabula, nec minimam ſolidioris doctrinæ continet particulam: hinc facilè explicabitur Tarantiſmi reditus, qui à veneni Tarantulini ob æſtivos ardores exaltatione ſuos non agnoſcit natales: Craſſiſſimus eſt hic vulgi error: Venenoſi morſûs recrudeſcunt ſymptomata, non exaltatur venenum: ubinàm etenim tanto temporis ſpatio deliteſceret? tàm variæ naturæ corporis humani ſucci, tot & aſſiduæ ſolidorum oſcillationes, nonnè illius veneni retundiſſent particulas? ità equidem illas immutarent, ut priſtinâ vi penitùs amiſſâ, veneni naturam ampliùs conſervare non poſſent: ac propterèa nullum Tarantiſmi effectum parere. Nonnè vidimus hyſterico-hypochondriacas, virgines alias chloroſi affectas, & hypochondriacos viros talibus tarantiſmi exercitos ſymptomatibus, ut veros Tarantiacos effingerent? Cujuſnam veneni exaltatio, & recrudeſcentia in iſtis conſideranda? Immò ulteriùs: Cura iſtis contulit ex Muſicâ: Quod profano vul-


go

go erroris dedit occasionem, veros illos Tarantatos credendi: & sciolis Philosophantibus Tarantismi fidem prorsùs abripuit.

Ex superiùs dictis facili negotio symptomatum explicari poterit recrudescentia, ut hypochondriorum inflatio, succi digestivi paucitas, & inertia, undè inappetentia, vomitus, lassitudo universalis, chlorosis, glandulosarum viscerum obstructiones, & innumera alia: & istæ obstructiones ob superiùs allatas rationes, crebriores observantur in glandulis, ob peculiarem scilicet earum texturam, à fibris supradicto modo affectis, liquidisque non ritè præparatis, & lentè fluentibus provenientes: sed nè in immensum crescat oratio, ut dici solet, & nè, ut ait Juvenal. Sat. 1. vers. 4.

. . . . diem consumpserit ingens
Telephus; aut summi plenâ jam margine libri
Scriptus, & in tergo, nec dum finitus Orestes,

manum de tabulâ, & huic Capiti finem imponamus.



CAPUT

CAPUT XVII.

De vi Musicæ in Tarantismo.

PRocul hìnc nugæ: Satis jàm aberranti concessimus menti. Tarantatos modò, ad varios, rapidosq; musicorum instrumentorum concentus, strenuè saltantes aliquantulùm inspiciamus. Musicam variis morbis opitulari antiquissimi sui juris est: Audi tamen M Vitruvium Pollionem renuentem: qui Architect. lib. 1. c. 1. pag. *Mihi* 13. ait: *& si vulnus mederi, aut ægrum eripere de periculo oportuerit, non accedet Musicus, sed id opus propriè erit Medici; Item in organo non Medicus, sed Musicus modulabitur, ut aures suam cantionibus recipiant jucunditatem*. Contrarium tamen sat manifesta gravissimorum Authorum testimonia, & assidua comprobant experimenta: Multis namquè morbis à Superiorum seculorum Authoribus Musica pro remedio est habita: Legatur inter alios Andreas Tiraquellus eruditissimus Jurisperitus, qui super hac re varias affert authoritates: ait enim de Nobilitate cap. 31. num. 286. *Salomon autem incantationes instituit, quibus soleant ægritudines mitigari . . . . . de qua re etiam Cælius Aurelianus lib.* 5. *Chronion cap.* 1. *Alii*, inquit, *Cantilenas Ischiadicis adhibendas probaverunt, ut etiam Philistionis Frater*

memo-

memorat lib. 22. de adjutoriis, scribens quemdam Fistulatorem loca dolentia decantasse, quæ quùm saltum sumerent palpitando, discusso dolore mitescerent: Alii denique hoc adjutorii genus Pythagoram memorant invenisse, quod tamen ipse post Soranum non probat: & num. 288. *ut interim omittam quod Æsculapius multas cantilenas scribit, mimosque ridicularum rerum fieri, & melodias quasdam instituit iis, quibus vehementiores animosæ partis motus, corporis temperamentum justo Calidius efficerent, ut tradit Galenus libr.* περὶ ὑγίεια *1. & antè eum Pindarus ode 3. scribit ipsum Æsculapium mollibus Cantionibus Medicinam adhibendo multos curavisse: Sed & Pythagoras perturbationes animi Lyrâ componebat, ut scribit Seneca libr. 3. de irâ. Nàm & Xenocrates Organicis modulis Lymphaticos liberavit. Et Asclepiades Phreneticorum mentes modo turbatas sæpè per symphoniam sanitati restituit, ut prodit Censorinus de die Natali, & Cælius Aurelianus libr. Chronion 1. Cap. 5.* Numero demùm 289. *Terpander, & Arion Methymneus, atque Jones, gravissimis morbis cantùs eripuere præsidio. Et Theophrastus viperarum morsibus Tibicinen scitè, modulatèque adhibitum mederi censuit, ut retulit Gellius, quo loco supra citavimus: & idem quoque censuit Aelianus lib. 9. Animal. quo loco de morsu aspidis loquitur: & ut scribit Gellius: Democritus*

mocritus in libr. περὶ λοιμῶν *, id est de Pestibus incentiones tibiarum plurimis hominum morbis medicinam præbuisse docet : Arnaldus Villanovanus eo libello, quem de regimine quartanæ nuncupatim inscripsit eidem morbo musicales melodias admodùm conferre scribit : quod & nos aliquandò , quum eo morbo miserè conflictaremur , experti sumus .* Ex his colligimus Vitruvium, qui post nonnullos ex præcitatis Authoribus suam conscripsit Architecturam nõ parùm deceptum fore : immò hìc loci moris est , constanti experientiâ duce , & pro veritate contrà sciolos pugnante, ad ægrotos Tarantismo affectos Medicum non accedere : sed id opus solis Musicis committitur.

Musicam Instrumentorum Tarantismum debellare novum non est in Medicina inventum. Si consultò verò, an fortuitò, non satis constat : Forsan ex antiquis jam prędictis Authorum monumentis Musicam veneнato aliorum animalium morsui commendãtibus analogicam Tarantismi curationem prisci Medici Appuli excerperunt : Sed quâ ratione antiquissimi illi Naturæ à secretis Ministri, & prima scentiarum lumina ducti fuerint ad hanc in venenatis animalium morsibus tentandam, & periclitandam ex Musica Medicinam, dubius hæreo, nisi fortuitum

quem-

quemdam eventum totam forsan explerepaginam dicere velimus : Sed quomodocumque sit : *hoc certò scimus Tarantulam Appulam, & præter paucas, omnes Phalangiorum species, suo morsu morbum illum, Tarantismum appellatum inducere : & Tarantismo affectos nullis aliis remediis faciliùs curari, nisi Musicis instrumentorum concentibus, ut experientiâ evidentissimè constat.*

Audi, que super hac re ab Epiphanio Ferdinando in casib. med. affertur, hist. 81. cap. 3. fol. 266. *Patet igitur Taletis, Democriti, Theophrasti, Asclepiadis, Diogenis Laertii, Plutarchi, Auli Gellii Musicam aliquos sanare morbos, & presertim Viperarum morsum &c. ergò fortassis à simili aliquis magnus Philosophus, & Medicus ex Salentinis, ex supradictorum Authorum lectura hoc remedii genus in Tarantatis adinvenire potuit temporibus illis, de quo quidem nulla extat apud antiquiores memoria. Vel si hæc non placent fortassis hujus mirabilis remedii inventio ex Ecclesiast. cap. 40. desumpta est : legitur enim ibi : Vinum, & Musica lætificant cor hominis. Cum enim in Tarantatis maxima floreāt melancholiæ symptomata, ut toties dictum est, quid mirum, quod ex hac authoritate fuerit inventum, Musicam Tarantatos persanare? Ad hæc, nonne Saulis morbus, seù ut veriùs loquar, malus spiritus, musicâ*

ficâ Davidis demulcebatur? lib.1. Reg. cap. 18. Ecce spiritus Dei malus exagitat te, jubeat Dominus noster, & Servi tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cytharâ, ut quùm arripuerit te spirus Domini malus psallat manu suâ, & leviùs feras: Ergo Musices inventio pro Tarantatis potuit esse arte, miroque studio, nimiâque curiositate inventa. An autem in hac nostra regione res fuit antiquissima, necne, ignoratur: nil enim certi ex historiis habetur, quemadmodum quandò hùc fuerit pro Tarantatis Musica inventa, ac introducta.

Qua tamen ex causâ ad musica instrumentorum peculiaria modulamina saltent Tarantiaci, & per aliquot dies Choreis indulgentes à Tarantismi symptomatibus liberentur, videndum nunc est. Peregrina equidem, & non ordinaria, nec vulgaris curatio! hoc tamen semper admiratus sum, doctos alioquin viros, & nescio cujusnam mentis Philosophos, phanaticam, & veluti extrà Naturæ ordinem positam Tarantismi ex Musicâ curationem putavisse; quibus tamen illud arridet, quod ab *Andreâ à Bergomo* in suis Satyris Sat. 15. lib. 2. scribitur:

Sò ch' à voi parrà strana bizzarria,
Che fin al fondo già tant' anni avete
Pescato in corpo alla Filosofia.

Sed

Sed magis appositè huic quoque conducit proposito quod *Joseph Aurelius de Januario* Eruditissimus nostri sæculi Jurisperitus in elegantissimo suo opere, cui titulus *Jurisconsultorum Respublica*, adfert: pag. 126. *Me contemnit, ridet, lacerat Budæus; non doleo: miror tamen illum non fuisse adhùc probè assecutum quid sibi deest, quid in me abundè nitet, nec seriò perpendisse plùs ingenii, & acuminis in eo fulgere, qui abdita rerum scrutatur, quàm qui externa collustrat plusque nervorum habere illum, qui causas rerum repetat altiores, quàm earumdem frontem primam poliat, atque adornet.*

Musicam tali vi præditam, ut morbos nonnullos curare valeat jàm satis ex antiquis deduximus monumentis. Immò nec omninò fabulosum, quod de Orpheo scribitur, suspicandum: licet ab aliquibus de ipsius Orphei dubitetur existentiâ: ut in Cicerone lib. 1: de natur. deor. legimus *Orpheum Poetam docet Aristot. nunquam fuisse: & hoc Orphicum Carnem Pythagorici ferunt, cujusdam fuisse Cercopis* alii legunt *Cerdonis*. Nobis tamen arridet fabulam veritatis nucleum continere, ut sepesepiùs in fabulis accidere solet: Orpheus igitur Eurydicen suam ab Aristæo amante insequutam, ut captæ vim faceret, à Serpente in herbâ latente ictam, & hinc mortuam,

ab inferis citharæ, & cantûs suavitate obtinuisse, varii finxerunt mythologi. Orpheus etenim sapientissimus sui ævi fuit vir, qui varios conscripsit libros, nec pauca medicinæ callebat mysteria: ut in Argonauticis ipse testatur referente Natali Comite in suâ Mythol. lib. 7. cap. 14.

Dicere fert animus, quæ nunquàm tempore lapso
Dixi cùm Bacchi, cùm Regis Apollinis actus
Sum stimulo: horrenda ut narrarē spicula, & idē
Fœdera cum Superis, mortalibus atque medelas.

Et inferiùs

Is Serpentis humi nosset firmare Draconis
Sibila, Serpentumque sciet superare venena.

Ac proindè Magum Orpheum Ægyptii sunt arbitrati. Sapientissimus tamen fuit Philosophus, primus inter græcos Astrologus; & instrumenti Musici septem chordarum ad septem planetarum imitationem, & rationem, vel longitudinis, vel intensionis, vel magnitudinis prior omnium adinvenit. Eurydicen igitur à Serpente ictam, salutis spe prorsùs ob ictum venenatum delusam, suæ citharæ, aut Lyrę concentibus, forsan pristinæ restituit sanitati. Nec extrâ oleas me vagari puto, si Eurydicis Serpentem Scorpionis, aut Phalangii speciem quamdam fuisse pronunciabo, quûm antiquitûs Serpentis vocabulum valdè genericæ fuerit significationis: ait enim Celsus

ſus lib. 5. cap. 27. *In quibuſdam etiam aliis Serpentibus certa quædam auxilia ſatis nota ſunt: nam Scorpio ſibi ipſe pulcherrimum medicamentum eſt*. Et paulò inferiùs ſub eodem capite de aranei ictus medelâ loquitur: quaderè araneos, & Scorpiones ad Serpentium genus reducit; immò apud Græcos Authores ὄφις vocabulum non ſolum Serpentem ſignificat, ſed aliquid aliud, ut in Anacreonte legimus Od. 40. in quâ Apem Serpentem alatum vocat.

ὄφις μ' ἔτυψε μικρὸς,
Πτερωτὸς ὃν καλοῦσι
Μέλιτταν οἱ γεωργοί. ideſt
Serpens me percuſſit puſillus
Alatus, quem vocitant
Apiculam Ruricolæ.

Myſterioſi poſtmodùm antiqui variis hiſtoriam fucis, more ſolito, fædantes, vel ut aliis placet ornantes, veritatem obſcuraverunt. Ac proindè non abſre, ut ſuperiùs dictum eſt, Muſicorum inſtrumentorum proluſiones viperæ ictibus mederi, antiquiſſimi ſcripſerunt Authores, quùm pro vipera quodcumque aliud Reptile, & forſan Phalangium intelligere deberent. In noſtris tamen Regionibus Scorpionum ictibus, muſicæ proluſiones quoque auxilio ſunt, ut aſſidua teſtantur experimenta. Immò in Thraciâ Orphei Patriæ Matre tanti æſtimatur muſica, ut quidam illic

uſque

uſque nunc inveniantur Turcarum Relligioſi ab ipſis Dervis appellati, qui in ſuis Templis poſt Alcorani lectionem multi ſimul validiſſimè, & fanaticè ſaltant, incitante tibiæ cantu lyphaticum tripudium, ut cum Apulejo loquar, & ex more quidem antiquiſſimo malitiosè ajunt, divinas revelationes in tripudiorum exceſſu ſuſcipere, ut ex duobus amicis meis oculatis teſtibus habui, & in Petri della Valle legimus Peregrinationibus: Non secùs ac antiqui Fanatici, ideò dicti, *quod in Fana, ideſt Templa, dant reſponſa, ut aliquos decipiant, & inducant eos ad aliquod credendum*: ut ex Juliano in Comment. de Ædilitio edicto ff veter. cap. 21. tit. 1. ubi ait Vulpianus in text.. *Apud Vivianum quæritur: Si ſervus inter Fanaticos non ſemper Caput jactaret, & aliqua præfatus eſſet, an nihilominùs ſanus videretur? & ait Vivianus, nihilominùs hunc ſanum eſſe*; ſuper quibus Vulpiani verbis Budæus commentatur, *hunc ſanum eſſe corpore ſed non animo, & ſic ceſſat redhibitoria*: de redhibitione etenim in illâ lege agitur, & ex Beroaldo in Apulei Comment. lib. 8.: *Talia fieri tripudia produnt à Corybantibus, qui Matris Deûm ſunt Sacerdotes, qui in Sacrificiis armati Capita jactant*. Et in Apuleii Aſino aureo legimus Syriæ Deæ Miniſtros, Deam ipſam circumferre ſolere, Cro-

tala

tala pulſantes, tympana multi percutientes, alii divina cantica concinentes, ut Beroaldus in Comment. citat. qui Miniſtri, ut in Apulejo lib. 8. *variis coloribus incluſiati*, vel ut legit Beroaldus, *induſiati . . . . brachiiſque ſuis humero tenus renudatis, attollentes immanes gladios, ac ſecures, evantes exiliunt, incitante tibiæ cantu lymphaticum tripudium, nec paucis pererratis caſulis ad quamdam villam Poſſeſſoris Britini*, ſeu ut in antiquo Codice manuſcripto legitur à Beroaldo, *Beati, perveniunt; & ab ingreſſu primo ſtatim abſonis ululatibus conſtrepantes, phanaticè pervolant: deniquè capite demiſſo, cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos in circulum rotantes, & nonnumquam morſibus ſuos incurſantes muſculos, ad poſtremum ancipiti ferro, quod gerebant, ſua quiſque brachia diſſecat. Inter hæc unus ex illis baccbatur effuſiùs, ac de imis præcordiis anbelitus crebros referens, velut Numinis divino ſpiritu repletus ſimulabat ſauciam vecordiam . . . . . arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, contortis teniis lanoſi velleris prolixè fimbriatum, & multijugis talis ovium teſſellatum, ididem ſeſe multinodis commulcat ictibus, mirè contrà plagarum dolores preſumptione munitus cerneres profectu gladiorum, ictuque flagrorum Solum ſpurcitie ſanguinis effæminati madeſcere.* In his

Apu-

Apuleji verbis Tarantismum designari diceres, nisi malitiosus Pseudorelligiosorum illorum ritus in contrariam nos non inclinaret sententiam: Isti namque à *quodam Colono fictæ vaticinationis mendacio pinguissimum deposcunt arietem, qui Deam Syriam esurientem suo satiaret Sacrificio*: ut idem Apulejus paulò inferiùs eodem lib. 8.

Sed quonam diverticuli? cur tamdiù derelictæ, misellęque Eurydicis obliti sumus? Faxit Deus ab Aristæo persequutore absoluta, & ab Orci faucibus evasa, ad Orphæum suũ redeat, & libera, & incolumis: Hinc igitur elegantissimum audire convenit Angeli Politiani lusum poeticum, qui Plutonem ità Orpheo dicentem, suamque concedentem Eurydicen introducit:

Io te la rendo, ma con queste leggi:,
Ch' ella in dietro mai voltata stia,
E che tu mai la sua faccia non veggi,
Finche trà vivi pervenuta sia:
Dunque il tuo gran desir, Orfeo, correggi,
Se non che tolta subito ti fia:
Io son contento, ch' à sì dolce plettro
S' inchini la potenzia del mio Scettro.

Hinc forsan conjecturare licet fabulæ sensum ab Orphæo in regressu ab Inferis, non observatis conditionibus, ne ipsam scilicet Eurydicen respiceret, priùsquam ad Superos perve-

perveniſſet, ità intelligi debere. Eurydicen ſcilicet à venenato Veterno aliquantulùm ob vim muſicæ excitatam, ob ſtrenui amoris impatientiam ab Orpheo compreſſam, recenti veneno recrudeſcente, veram mortem obiiſſe: atque ideò in Politiano in eodem Poemate, Eurydicis legimus quærelas, ità Orpheo dicentis:

Ohimè, ch' il troppo amore
Ci à disfatti ambidua:
Ecco ch' io ti ſon tolta à gran furore,
Ne ſon ormai più tua:
Tiemmi trà le tue braccia, ma non vale,
Ch' in dietro ſon tirata: Orfeo mio, vale.

Allegoricam intereà fabulæ ſignificationem Theologis interpetrandam relinquamus: his tamen in eruditorum gratiam noſtris in medium poſitis otiis addamus finem.

Nec Muſica ſine ſaltatione, nec ſaltatio ſine Muſica Tarantiſmum debellare valent, vel ſaltem mulcere. Muſica igitur inſtrumentorum, aërem percutit, cujus violentæ undulationes aures validiùs concutiunt, ut ex Lucret. lib. 4. de rerum natur.

Principio auditur ſonus, & vox omnis in aures
Inſinuata ſuo pepulere ubi corpore ſenſum.
Corpoream quoq; enim vocem cõſtare fatendũ eſt,
Et ſonitum, quoniam poſſunt impellere ſenſus.

Internæ igitur aurium particulæ ità quidem

dem, ob vim percuſſionis à ſonoris muſicis instrumentis excitatæ, afficiuntur, ut innumerabiles fibræ, particulas illas componentes, tales edant vibrationes, ut naturalibus additæ oſcillationibus, per totum fibroſum corporis Regnum impetuoſiùs propagentur, viribus quidem, temporumque intervallis, ad vibrationes corporis ſonori proportionalibus. Vibrationis verò fibrarum exceſſus à corpore ſonoro ſuperadditus, variis cauſæ percutienti correſpondebit proportionibus, juxtà corporum naturam, & ſitum intrà sphæram activitatis ſonori corporis poſitorum: alio namquè modo afficientur à corpore ſonoro fibræ, intrà anguſtum ſonante cubiculum: alio modo intrà latiorem Aulam: alitèr tandem ſi in aëre aperto, & ſub dio fiat periculum. Chordarum etenim ex. gr. vibrationes aërem in ſuperficiem ſolidorum corporum, intrà ſuæ activitatis ſphæram ſitorum retrudentes, & ſimiliter in aurium, & univerſę cutis fibras impellentes, tunc iſtæ fibræ præter cuſſiones à corporis ſonori vibrationibus provenientes, alias quoque percipient, quæ reflexionis motu à corporibus illis ſolidis reflectuntur: & tantò magis motûs reflexi percuſſio augebit fibrarum vibrationum robur, quo proximiorem rationem harmonicam eodem tempore cum corporibus ſonoris copu-

laverit

laverit ut 1. ad 2. &c. quod provenire solet à corporũ reflectentiũ internâ, vel extrinsecâ dispositione. Instrumenta itaque musica tali pollere vi, ut corporum fibras, si intrà suarum activitatum sphæram consistant, ad vibrationes invitent, suis vibrationibus proportionales, experientia loquitur pro ratione. Immò ut inferiùs magis dilucidè pronunciabimus, sonori corporis tremores illi harmonici, insensibiles, qui totidem sunt successivæ vibratiunculæ, similes in fibris excitabunt tremores harmonicos, & juxtà omnia tremoribus harmonicis corporis sonori proportionales. Advertas tamen, non solùm aurium, sed totius cutis fibras à corpore sonoro etiàm affici.

Observare prætereà solemus in statu naturali in aliquo morantes cubiculo, si quis, vel fortuitò, vel consultò levigatum parietem unguibus scabere decreverit, vel aliquo instrumento, itaùt strepitus, seu stridor sibilo similis excitetur, statim unusquisque cõventûs illius per totam cutim molestissimo corripietur horrore, si surdus penitùs non fuerit; Super abolito namque Auditûs sensu sonora corpora nullum habent jus: Surdastri namquè, qui aliquali gaudent auditûs sensatione, à validioribus sonori corporis vibrationibus, eosdem ac sani homines experiuntur effectus. De his forsan Epiphanius Ferdinan-

dus loquitur in ſuis caſib. medic. hiſt. 81. cap. 2. fol. 254. *Scimus Surdos ſaltaſſe, & tripudiaſſe*. Immò ſi quilibet conventûs illius aures ſuas digitis optimè obturet, nullum è ſcalpto pariete cutis horrorem concipiet: & hoc experimentum facili periculo ab unoquoque poterit ad libitum periclitari. Quapropter concludendum puto, quod ſi corpora ſonora aliquod dicant jus in univerſas corporis humani fibras, aures principaliter afficiuntur. Quamvis non negaverim, aliquando à corporis alicujus ſonori, validiſſimè tamen aërem percutientis concuſſionibus, ut Bombardarum, ſimiliumque exploſionibus, Tympanique majoris proximis percuſſionibus, non ſolùm aures, ſed univerſum quoque corpus validè concuti; Ædificia, & Solum, non parùm quoque quatiuntur: Et Bombyces ſi in proximis forſan curentur domibus, quùm majuſculi ſunt, & ſericeæ incumbunt operæ, ſtatim, concuſſo corpuſculo, ab opere deſiſtũt & pereunt: Quod conſtanti experientiâ perpetuò confirmatur: Idem quoque proxima tonitrua in illos operantur.

In Tarantiſmo, muſicorum inſtrumentorum proluſiones, in illas corporis fibras jus majus habent, quæ in octavâ decliviori, reſpectu depravatæ tenſionis, ut ſuperiùs diximus, inveniuntur: & iſtæ ſunt fibræ laxiores,

res, quæ percuſſionis vim licet percipiant, vibrationes idcircò validiores edere nequeũt, ac proindè tremores tantùm harmonicos, ſonori corporis vibrationibus proportionales exercent: qui tremores impedimento ſunt fibris cæteris magis tenſis, ne ordinatas edant oſcillationes, licet à vi extrinſecæ percuſſionis proportionaliter hæ quoque afficiantur: & à naturali aberrantes oſcillationum ordine, & inter ſe proportione, proportionibus muſici inſtrumenti tantùm correſpondent: Atque, ut mox diximus, fibræ corporis, quæ validiori robore prçditæ, vadiliores edunt naturales oſcillationes, à vi extrinſecæ percuſſionis non tàm facilè deturbantur à naturalibus oſcillatorii motûs determinationibus, ſed aliquod tantùm impedimentum percipient in oſcillationibus obeundis.

Quùm verò univerſi corporis fibræ parietes conſtituant, & argines liquidorum omnium per corpus diſcurrentium: manifeſtum eſt fluidas ſubſtantias immediato contactu à corporis fibris affici; ac propterea ſolidorũ oſcillantium paſſiones iiſdem prorsùs vibrationum proportionibus corporis fluida afficere, quibus ipſamet afficiuntur: ita ùt ſi fibræ oſcillantes tali pactò à vi extrinſecâ percutiantur, ut percuſſionis vis regularium, & naturalium oſcillationum adjuvet determina-

minationes, tunc liquidorum motus augebitur: cujus auctio eamdem habebit rationem ad roboris fibrarum additamentum, quam habet virium fibræ oscillantis excessus ad vim extrinsecæ percussionis: licet præterea soleat accidere circà percussionis doctrinam, certam regulam inveniri non posse rationum multiplicati roboris corporis impulsi ad excessum impulsûs corporis immediatè impellentis, ab alio corpore percutiente adaucti.

Mox verò longiori producto filo, & glomo penitùs extricato, opportuna conducit occasio notas jàm labyrinthi ambages deserere: rectoque tramite ad Philosophiæ ædes nõ cuivis notas accedendo, veritati inquirendæ consulere: Atque hinc magis è propinquo Musicæ vim in tarantismo faciliùs indagare. Sonus igitur fibras laxiores (ut superiùs diximus) faciliùs impellit, & percutit: quæ non omnes aëris vibrationes, ab instrumentorum chordis excitatas percipiunt, sed illas tantùm, quæ in chordarum validioribus vibrationibus fiunt, & quæ vel integræ sunt vibrationes, vel semivibrationes, & acutæ. Omnis tamen Tarantatis accommodatus sonus ad acutum accedit, nam omnia modulamina, quæ *Tarantellæ* idcircò dicuntur, quamvelocissimi motus sunt. Fibræ igitur laxæ à violentis solummodò aëris vibrationibus

per-

percussæ illam tantùm vibrationem edunt validiorem, quæ à vi aëris percutientis, & versùs plagam determinationis sui motûs impellentis provenit: quùm verò deficiente saltem proportionali tensione, resilientiæ, & quasi reflexionis vibrationes eodem impetu, & vi non possint edere, debiliores tantùm tremores concipiunt, quibus sic stantibus, in illis fibris laxis magis impeditur liquidi discurrentis motus progressivus refluus, non tàm verò, ob cordis vim, impedito motu liquidorum progressivo influo: quaderè magis tensæ validiores edere incipiunt vibrationes: & proindè impulsibus, & percussionibus aëris vibrantis ab instrumentorum vibrationibus productis, faciliori periculo poterunt obedire. Fibræ tamen adeò tensæ, ut quasi ad unisonum sint cum chordis, & instrumentorum sonis, faciliùs aëris percussionibus obediunt. Fibræ tamen tali pacto tensæ, ut cum chordis, vel peculiari aliquo tono instrumentorum musicalium, ratione tensionis, in aliquâ sint proportione harmonicâ in octavâ scil. vel simplici, vel duplâ, vel triplâ, vel tensione unisonâ, faciliùs vibrabunt fibræ unisonè tensæ, ob æquabilitatem rationis virium percussionis cum fibrarum illarum tensione, & æquabiles quoque erunt vibrationum resilientiæ: quæ verò ad octavam altiorem,

rem, & acutam tenſæ ſunt, licet vibrationes quoque concipiant, breviùs in vibrando ſpatium percurrent, & ſimiliter æquabiles edent vibrationum reſilientias. Quæ verò ad octavam decliviorem, & gravem tenſæ, hæ facilè percuſſionis vim ſentient: ſed vibrationum reſilientiæ deficiente elatere, ob tenſionis gradum remiſſiorem erunt debiliores, & tremorum harmonicorum progreſſiones citiùs in quiete remittentur: paulò tardiùs quæ in octavâ acutâ: tardiſſimè verò quæ in tenſione uniſonâ conſtitutæ inveniuntur.

Licet tamen corporis humani fibræ in naturalibus conſtitutæ tenſionibus, aliquam quoque inter ſe ſervent tenſionem harmonicam, proportionalem habētem rationem cum earumdem craſſitie, & longitudine: hæc tantùm conducit ad motus naturales oſcillatorios obeundos, qui ratione virium, cum fluidis impellentibus, cęteriſque reſiſtentibus, & cũ externi aëris preſſione, internique elaſticitate in quadam erunt harmonicâ proportione, itaùt ex tot motibus inter ſe diverſis, & ex reſiſtentiis inter ſe tàm differentibus, ille reſultet motuum ordo, & harmonia, ut in his tantùm vita conſiſtat ſalubris: quæ ſi perturbentur, juxà majorem, vel minorem perturbationem, his, vel illis, levioribus, vel gravioribus morbis animalium corpora reddentur procli-

procliviora. Non dissimili fermè modo, quàm in instrumento quocumque polychordo accidere solet, in quo si chordæ omnes tensionum ratione, longitudinum, & crassitierum, inter se rationem servent harmonicam, ab experto si pulsetur Citharædo suavem, & jucundissimum reddet sonum: si una tantùm chorda tali pacto sit tensa, ut in nullâ sit harmonicâ proportione cum cæteris, licet à peritiori polychordum illud pulsetur Citharędo, sonum edet auribus molestissimum.

Instrumenta igitur chordis munita, vel pneumatica aùt pulsata, vel flatu exercita, aërem suis percutiunt vibrationibus, quæ successivè, facto centro motûs in quolibet chordæ, & instrumenti pneumatici puncto, per aliquod propagantur spatium; & intereà si intrà activitatis sphæram corpora offendant, quæ ratione resistentiæ in quâdam sint harmonicâ proportione cum chordarum tensionibus, vel instrumenti pneumatici materiæ peculiaris vibrationibus, & tremoribus harmonicis, vim percussionis sentient, & vibrationibus, ac tremoribus correspondebunt, proportionalibus tensioni, longitudini, & crassitiei chordarum, necnon materiæ, diametro, longitudini, & figuræ pneumatici cujusque instrumenti: nàm quò longior erit chorda, & quò major erit fistulæ ex. grat.

pneumaticæ diameter eo graviorem edent, ſonum, et è contrà.

Ità à pari de variis Fibrarum corporis tenſionibus erit diſcurrendum, quæ in ſtatu naturali tales edunt motus oſcillatorios, ut in quadam ſint proportione cum diverſis earumdem tenſionibus: & ratione variæ fibrarum tenſionis, & longitudinis, quùm variæ quoque reſultent oſcillationum vires, diverſis prorsùs viribus ſuper liquidis operantur: adeò tamen proportionalibus, ut ex tot, & tàm diverſis impulſibus, ordinatiſſimi emanent liquidorum motus: nâm fibræ oſcillantes tali artificio ab Authore naturæ ſunt fabrefactæ, & ſitę, ùt aliquem componentes tubum, per quem debeant liquida fluere, tenſionum, & oſcillationum rationes à tubulorum diametris deducantur: Quamobrem quò minor erit tubuli diameter, eò minori in ſpatio oſcillationes coarctabuntur: nam fibrę tubulum illum componentes minorem breviſſimę ſunt, & ideò minimum in oſcillando ſpatium percurrent, ac proindè liquidū contentum percutient vibrationibus tenſioni correſpondentibus: Sed quùm in minimâ diametro, minima contineatur liquidi quantitas, perbreves illæ vibrationes ſatis erunt ad liquidi contentam quantitatem ultrò cogendam: & reſpectu proportionis vaſorum mino-

minorum, & majorum, erit tensio ad tensionem, ut diameter ad diametrum, & liquidi contenti quantitas ad quantitatem, diametrorum quoque rationem habebit: & oscillationum vires erunt in eâdem quoque tensionum ratione.

Ab aëris igitur undulationibus, quæ suū agnoscunt centrum motûs in chordis instrumentorum pulsatis, vel in tubo quolibet musico pneumatico tremoribus harmonicis adapto, percutiuntur corporis Tarantatorum fibræ, quarum variæ tensiones morbosæ in causâ sunt inordinationum, & perturbationum omnium animalis œconomiæ in Tarantatis facilè observabilium; & eodem tempore variæ istæ morbosæ tensiones æquabiliorem habebunt rationem huic, vel alteri musicorum instrumentorum prolusioni, quàm harmonicis inter se motuum, & virium correspondentiis: & eapropter faciliùs obedient percussionibus harmonicis instrumenti cujusdam musici, quàm internis oscillationum naturalium causis.

In fibrarum itaque percussarum aliquo puncto, in quod percussionis Vis majori irruit impetu, fit novi motûs centrum, qui si à potentiori proveniat causâ, adeò augebit naturalem fibræ percussæ oscillationem, ut veluti in fluidis observamus, majorem

vorticem minores abſorbere, ità validior fibræ alicujus oſcillatio in oſcillationum propagatione, & commercio, minores proximarum vibrationes abſorbebit, ut ità dicam, & confundet: Quaderè in totâ machinâ, quùm varia fiant novorũ motuũ centra, ab aëris undulationibus ob inſtrumentorum muſicorum vibrationes excitata, varii per conſequens novi fibrarum motus oſcillatorii propagabuntur, qui ad extrinſecas tantùm cauſas ſuas habebunt rationes: Nec internis oſcillationum cauſis poterunt ampliùs iſti motus abſolutè & harmonicè correſpondere, nàm quùm ſint debiliores, à validioribus obſcurati, illis cedere coguntur: & hinc novæ fibrarum oſcillationes, veluti principales Machinæ Duces, alieno jure uſurpato, plenipotentiæ, ut ità dicam, authoritate acquiſitâ, ſuper univerſâ humani corporis machinâ, debiliores ex naturalibus fibrarum oſcillationibus abſorbendo, ſuarum vibrationum percuſſionibus cogunt illas obtemperare: validiores verò ſaltem perturbant; atque hinc ordinati liquidorum motus depravari, & extrà naturalem ordinem fluere, ac proindè eorum circulationem retardari manifeſtò conſtat: Et propterea quùm major fibrarum oſcillantium numerus extrinſecæ percuſſionis cauſæ obtemperet, cum illâ tantùm ſuas habebit

bebit rationes, quùm ab illa prorsùs dependeat: & ideò vibrationum proportiones ad extrinſecam cauſam rationem habentes, univerſam cogent Machinam ad motus quoſdam ex compoſitis rationibus obeundos, adamuſſim vibrationibus, tremoribuſque harmonicis inſtrumentorum concinnè ſonantium correſpondentes; Et hæc eſt ratio chorearum, quæ volente, nolente Tarantiaco, muſicis ſonantibus inſtrumentis, ad opportunum, propriumque modulamen aptè compoſitis, illum ſaltare compellunt, motibus quidem adeò concinnis, & proluſioni inſtrumentorũ accommodatis, ut expertos chorearum Magiſtros fatereris. Exemplum vide in Horatii Gentilis Puellulâ ſeptimeſtri ſub XIV. hiſtoriâ pag. 129. in quâ Puellulæ brachiolorum motus, & replicata veluti ſuſpiria inſtrumentorum ſonis concordi correſpondebant harmoniâ, quæ etiam conſtantiſſimè in Ruſticis viris, Pueris, Puellulisque Tarantatis, Muſicæ penitùs ignaris obſervatur.

Duo tamen hìc pretereunda non ſunt, Tarantatos ſcilicet omnes æſtivo tempore, inſtrumentorum muſicorum proluſionem ſui Tarantiſmi genio propriam, audientes, à vi quadam invincibili ad ſaltatus impelli, ut ex univerſorum verè Tarantatorum confeſſionibus ſat mihi conſtat: itaùt ſi ex animo ſal-

tare nolint, nequeant tali genio obtemperare. Aliud quod erat notandum illud eſt, quod unica exempl. gr. lyræ chorda omotonum, continuatumque ſonum reddens, ad ſaltationes non coget Tarantatum, ſed aliquas in illo excitabit particularis cujuſdam mẽbri tenſiones, ut illas moleſtè ferat, cujus ratio ex ſuperiùs dictis facilè poteſt erui. In honeſtiſſimâ matronâ Tarãtiaca hoc facto, ſed nõ ſemel, periculo, dexteri pedis pollex veluti a funiculo arctiſſimè conſtrictus, doloroſâ afficiebatur moleſtiâ: & hoc conſtantiſſimè pro lubitu obſervatur: Nonulli animi deliquio: alii dyſpnæa afficiuntur.

Strenuè itaque Tarantato ſaltante ob violentas fibrarum vibrationes ſonori corporis harmonicis tremoribus obedientes, à naturali aberrantes ſuarum oſcillationum ſyſtemate, retardatur ſanguinis circulatio: inſenſibilis impeditur tranſpiratio, & generalis in ipſo ſaltationis actu, perturbatur humani corporis œconomia: Idem à Sanctorio in ſuâ Medic. ſtatic. obſervatur Aphoriſm. 49. de Ponderatione: *Quilibet corporis dolor, ſive labor, cocti perſpirabilis tranſitum impedit*. Sed prætereà circulationis ſanguinis retardatio, tranſpirationis ſolitæ aliquale impedimentũ, & liquidorum in aliquo corporis viſcere conſueta retardata ſecretio, in cauſa ſunt, ut

fibræ

fibræ morbosâ affectæ laxitudine tendantur magis, ac proindè insensibiles tubuli, qui præ laxitudine, morbosàque flacciditate, à validorum, elasticorumque quasi, ut ità dicam, abscissi erant consortio, naturalem tẽsionem paulatìm adipiscentes, eorum magis patulæ evadent diametri, & indè jàm datâ portâ, tàm liquidorum restituetur circulatio, tàm elasticæ aëreo--spirituosæ particulæ fibrillarum tubulos faciliùs ingredeuntes, antiquas peragrabunt semitas, & depravatæ corporis œconomiæ consulent. Nam liquida omnia ob fibrarum flacciditatem, aliarumque oppressionem à Tarantismo productam, crassitudinem non paucam adepta, restitutâ jàm naturali solidorum tensione, attenuantur, & ad munera, ad quæ nata sunt, obeunda preparantur: atque ideò Sanctorius in Aphor. 9. de exercit. & quiet. ait: *Exercitio corpora leviora fiunt: omnes enim partes, precipuè musculi, & ligamenta, motu ab excrementis purgantur: perspirabile ad exhalationem præparatur, spiritus tenuiores fiunt*. Exercitio itaque preparantur perspirabilis materiæ elementa, & promovetur ejus expulsio si moderata sint exercitia: nàm *Tripudiatio moderata, & sine saltu proximè ad deambulationis moderatæ laudes accedit: perspirabile enim coctum moderatè expellit*: ex eodem Sanctor. de exercit. & quiet. Aph. 33. Et

Et hæc moderata exercitia in ipſo exercitationum actu augent perſpirabilis materię tranſpirationem: nàm ſolidarum partium oſcillationum vibrationes, & liquidorum omnium propulſiones nō ſolùm non impediunt, aut perturbant, ſed promovent, & in eadē motûs determinatione conſervant. Laborioſa tamen exercitia in ipſo exercitationum actu tranſpirationem impediunt, ut ſuprà ex Sanctorio notavimus: nam regulares oſcillātium fibrarum perturbant vibrationes, liquidorumque motus, progreſſivum ſcilicet, & inteſtinum turbando, liquorum confundunt elementa: benè tamen copioſiorem perſpirabilis materiæ prępárant quantitatem, cujus propulſio corpore quieſcente, aut ad quietem tendente, vel moderatiùs ſe exercente quammaximè augebitur, quùm major in corpore cocta, & prępárata perſpirabilis materiæ quantitas inveniatur; & corporis fibræ dùm à violento motu, ad priſtinum placidiorem remitti pergunt, ceſſat quidem pedetentim vibrationum confuſio: Vigoris tamen exceſſus, quùm protinùs deperdi nequeat, paulatim decidens, per aliquod temporis ſpatium, uſquequò ad priſtinum vibrationum ſtatum fibrarum non redeant oſcillationes, perdurat: & tunc temporis perſpirabilis cocti adjuvat expulſionem. Ac propterea in Taran-

tatis

tatis ſaltationum exercitationes perſpirabilis materiæ non paucam quantitatem preparantes, & inteſtinum liquidorum motum augẽtes, licet in ipſo ſaltationum actu adeò copioſam non promoveant tranſpirationem, abundantiſſimam tamen materiæ perſpirabilis preparant quantitatem, quam tranſpirationi diſponunt: lentoſque humores attenuant, qui præ fibrarum morboſâ flacciditate viſciditatem, lentoremque adepti fuerant, Tarãtiſmi quidem effectum, ut ſuperiùs diximus; Hinc tali pacto canaliculis patentioribus redditis, fibrarum oſcillantium ablatis impedimentis, liquidis omnibus priſtinâ reſtitutâ fluiditate, Tarantati corpus ſanum evadit, & tunc ſaltationibus, choreiſque imponitur finis.

Non parùm tamen ad Tarantiſmi in hac Regione frequentioris ſcientiam, conducere arbitror particularem noſtri aëris elaſticitatem, à quâ Incolarum peculiaris corporum deduci poterit textura; tali ſcilicet motûs promptitudine pollens, ut ipſi Incolarum mores ad audaciam, & alacritatem inclinent: Quàm citiſſimæ iſti ſunt loquutionis, ingenio perſpicaciſſimi, itaùt ad alicujus abſtruſiſſimæ ſententiæ ſenſum expiſcandum, & interpetrandum ſint aptiſſimi. Quædam tamen morum in omnibus inconſtantia: Faci-

liter namquè irascuntur: sed facillimè sedātur. Odium ad longum temporis spatium non protrahitur. Faciliter amant: sed eâdem humanitate, non adeò difficulter, & sępèsępiùs pręter expectationem ab amore desistūt: impatientes etenim naturaliter longioris moræ sunt. Ad Poesim valdè proclives, & elatioris cothurni componunt versiculos: ad Satyram tamen proniores; & præter hæc Fæminæ ad hysterico-hypochondriacas suffocationes valdè proclives, quæ vulgò hìc appellantur *le stirature*, quasi dicat convulsiones, vel convulsivos motus, cui affectioni non adhùc à conterraneis Medicis satis prospectum est: hæc tamen Aëris nostri elasticitas constantissimis, pluriesque reiteratis confirmatur experimentis Tubo mercuriali Torricelliano factis, in quo mercurius in meis Barometris altitudinem ordinariam 29 digitorum valdè superat: quùm ad trigintaquinque digitos aliquandò perveniat, & quandòque superet, sed ordinariè ad 34, & semilineas, ut nuper observavi in meo Barometro, quod purgatissimo mercurio plenum est, & Phosphoratū, & novem mercurii uncias continet, ad altitudinem trigintaquinq: digitorum, triumque semilinearum mercurium ascendisse die 13. 17. 18. mensis Februarii currentis anni 1741. quod ex meis Metheorologicis observationibus colligitur, ventis
borea-

borealibus flantibus duorum graduum, ſudo aëre, & frigidiuſculo exiſtente. Nec aliter alia mea barometra ſe geſſerunt, licet minùs purgato mercurio plena forent: In barometro verùm duplicato, cum duobus ſcilicet brachiis extructo, quorum alterum mercurio, alterum ſpiritu vini debiliori plenum eſt, mercurii aſcenſus ſemper, & conſtanter uno pollice, & ſemilineis plùs, minùs ordinariam cæterorum ſuperat altitudinem: ob liquoris ſcilicet gravitatem aëris ponderi ſuperadditam. Hæc tamen omnia peculiari diſſertatione non adhùc editâ fuſiùs conſcripſi. Nequè opponas variarum Europæ Partium menſuræ varietatem: Nàm Evangeliſta Torricellus Tubi cylindrici mercurialis inventor, Italus & Magni Ducis Hetruriæ Philoſophus, & Mathematicus, neſcio quâ ratione exterorū uti voluerit menſuris, quùm domeſticæ præ manibus forent. Tota demùm noſtri aëris elaſticitatis cauſa, noſtræ Regionis Solo attribuenda eſt, à quo ob peculiarem ſui ſtructuram, contētorumque diverſorum inopiam, ut aquarum ſtagnantium, fluminum, & minerarum, pauci attolluntur vapores, & pauciſſimæ exhalationes, quæ faciliter à ventis diſſipantur, quùm tota hæc Regio inter duo Maria Adriaticum ſcilicet, & Ionium ſit poſita:
Et quæ duobus Terra comprimitur fretis:

Senec. in Hyppol. v. 1021. Act. 4.
Et prætereà tota hæc Regio adeò abundantibus pluviis non perfunditur: ut ex meis habetur Metheorologicis observationibus pro Regiâ scientiarum Academiâ Neapolitanâ peractis: ex quibus colligo majorem pluviæ summam fuisse anno 1734. Pollicum scilicet 29. à Martio 1734. ad Martiũ 1735. numerãdo: ad quam summam cæterorum annorum pluviæ non pervenerunt, ab illius Academiæ principio anni 1733. usque ad præsentem annum 1741. Tàm considerabilia nec etiam nemora habemus, quorum proceræ Arbores, ut cum Anacreonte loquar, Terram bibunt Od. 19. latin. version.

Terra hæc nigra bibit,
Bibuntque Arbores ipsam:
Bibit & Æquor Auras,
Et Sol ipsum Æquor,
Solemque Luna. &c.

Hinc proptereâ illius exugentes humorem, in auras torrente copioso, sed imperceptibili, per vasa peculiaria transfundunt, Aëremque multis coinquinant vaporibus: & ob hanc quoque rationem siccum, & valdè elasticum nostræ Regionis aërem esse, arguo: ob nemorum scilicet frequentiæ defectum: Nec flumina aliqua habemus, nisi quosdam rivulos, pro fluminibus à nobis habitos. Si

nostræ

noſtræ hæ nugæ poterunt aliquandò hujus Regionis Naturali Hiſtoriæ proſpicere, noſtros Lector benevole, qualeſcumque ſint, precor, non dedigneris labores.

CAPUT XVIII.

De Tarantatorum Curatione, variiſque Eorum Inclinationibus.

PRincipaliorem, efficacioremque Tarantiſmi remedium Muſicam eſſe, jam ſatis ſuperque manifeſtum eſt: & ſuperiùs plura adduximus graviſſimorum Authorum Teſtimonia. Saltandi verò modus Apuliæ familiaris talis eſt: Opportuno tempore, æſtivo ſcilicet, & preſertim quùm

Leo flammiferis æſtibus ardens
Iterùm è Cœlo cadet herculeus

Senec. Thyeſt. act. 4. Chor. v. 886. Sed nõ eodem propriè menſe, iiſdemque adamuſſim diebus, illis quidem correſpondentibus, in quibus Tarantula morſu Tarantatos affecit, ut nonnulli ex falſis forſan relationibus exiſtimavere, muſica conveniunt inſtrumenta in Tarantati Domicilio: ubi ſi novus erit Tarantatus, variis illum explorant inſtrumentorum proluſionibus, quæ exploratio in antiquis Tarantatis non eſt neceſſaria, notum enim eſt ſolitum ſoni genus: Velociſſima tamen ſunt omnia ſonorum modulamina, acuta, & vehementia, quæ generaliter Tarantatos omnes dele-

delectant: nam

Pectora tantis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda levi.

Senec. Hercul. furent. Act. 4. Chor. v. 1111.

Hæc modulamina vulgò *Terantellæ* dicūtur forsan à græco ταράττειν, quod turbare, & suprà modum commovere significat, ex Gorræo, in defin. Med. & nil implicat, Tarantulas quoque ab illâ radice, ob sui morsûs effectus, qui validioribus instrumentorum Musicorum sonis, & strenuæ saltationis ope curantur, suam desumpsisse ætymologiam; sicuti in variis vernaculis nostris observamus vocabulis, quæ à gręcis ortum, & denominaminationem recognoscunt: nàm antiquitùs, & per plura sæcula tota hæc Regio à Græcis erat habitata: & nunc varia adhuc extant Gręcorum oppida, quæ græco locuntur idiomate, per totam hanc Regionem sparsa.

Varia, & diversa modulantur sonorum genera, à quibus omnibus indiscriminatim Tarantatus non excitatur, sed ab aliquo tantùm peculiari, & sui Tarantismi genio, ut ità dicam, apto modulamine ad saltationes invitatur: immò, ut ex pluribus honestorum virorum, mulierumque à Tarantulâ demorsarum excerpere potui relationibus: à quadam vi, & interno nisu, proprio soni genere audito, ad saltationes excitantur; Itaùt mihi

mihi non ſemel ab unoquoque Tarantato poſcenti, an inſtrumentis propriis, aptiſque, peculiarem, & ſuo Tarantiſmo appropriatum modulamen ſonãtibus, queant ad lubitum quieſcere, & ſaltationibus obſtinatiſſimè non indulgere? unanimiter omnes reſponderunt, nec morulam rei imponere poſſe, ſed peculiari illo modulamine mox audito, pręcipiti quodam æſtro percitos, à quonam neſcientes ſpiritu, veluti invaſos, ad ſaltationes illicò excitari; & ſymptomata Tarantiſmum concomitantia, an difficilis adſit reſpiratio, an pręcordiorum anxietates, an inexplicabilis univerſalis laſſitudo, an alia quævis ſuperiùs deſcripta, miteſcere incipiunt; Quandoque clamoroſis aërem implent ſuſpiriis, & ululatibus, talique pacto veluti Fanatici, & Lymphati lectulum, vel ſellam deſerunt, ſaltationesq; ſtrenuè peragunt: primamque choream ſonãtibus inſtrumentis ad unam, vel alteram horam, & quandoque ad horæ tantùm dimidium ducunt, attentis ſcilicet Tarantatorum viribus, ſymptomatumque cataſtrophe. Choreâ peractâ lectum petunt, panniſque cooperiuntur, ad ſudãdum, vel quieſcendũ: uno, vel altero horæ quadrante ſic quieſcentibus, iterùm Muſici eamdem reſonant ſoni proluſionem, iterùmq; Tarantati ſecundę Chorę operam navant: Tribus itaque, vel quatuor mane ductis Choreis, cibis

bis reficiuntur, placidoque aliquandò somno indulgent: Vespere verò iisdem concedunt se exercitationibus in plures choreas distinctis, usq: ad tertiam, quartamq: interdùm noctis horam, quùm iterùm cibo se reficientes, dulci sopore obruti, artus defessos nocte reliquâ, solitâ quiete placant.

Incerta tamen est Chorearum duratio, incertus earum in unoquoque die numerus, incertusq: numerus dierum, Choreis dicatorũ: nàm tamdiù, & tot duci debent Choreæ, usquequò Tarantismi, vel recentis, vel recrudescẽtis symptomata penitus cessaverint; quibus jam evanescentibus, cedit Tarantismus: & tunc temporis Tarantati, licet strenuè idem instrumentorum modulamen à Musicis prosequatur, ad saltationes non ampliùs excitantur. Immò non semel experti sumus Tarãtiacum in validiori Choreæ fervore, cessantibus illicò Tarântismi symptomatibus, Choreâ non expletâ, saltationes interrumpere: musicosque nòn ampliùs suæ curæ necessarios, dimissos facere: totumque annum salubrem ducere. Secùs quidem accidere sæpissimè solet, si non omninò placatis Tarantismi symptomatibus, ulteriùs non prosequatur saltationum exercitatio, nam totum annum valetudinarium trahunt. . Nec omnes iisdem delectantur musicis instrumentis, sed alios lyra,

cytha-

cythara alios, nonnullos Tibiæ magnitudinis variæ, Utri cuidam pneumatico adligatæ, cum parvo tympano harmonicè ſonantes delectant.

Tarantatorum cubiculum ſaltationibus, Choreiſque ducendis dicatum ſolent exornare arborum ramis viridi fronde onuſtis, quibus quamplurima coaptant Amenta, ſericeaſque faſciolas vividioribus coloribus imbutas: ſimiliumque colorum pannos per totum cubiculum diſponunt: & in aliquo cubiculi cantho, vel præmagnam æneam pelvim aquâ plenam, vitis pampinis, aliarumque arborum viridibus frondibus exornatam collocant, vel concinnos ex animi voluptate excitant limpidæ aquæ fonticulos: juxtà quos Tarantati ſaltantes, ab illis apparationibus maximoperè delectari videntur: pannoſque illos, arborumque ramos, & aquæ arte factos rivulos contemplantur, manuſq;, & caput fluenti rivulo ſupponentes, madefaciunt: pampinorumque aquâ madidorum è pelvi ſuſcipiẽtes faſciculos, totos ſe conſpergunt: & quãdoque, ſi pręmagnus erit lacuſculus, inibi immergunt ſe, et ſic faciliùs ſaltationum ferunt labores. Nec ſemel accidit, ut per Urbem, Pagoſque ſaltantes conſuetis muſicis comitati concentibus ad aliquod ſe transferant Pomarium, ubi ſub umbroſâ quâdam

Arbore, juxtà aliquod aquarum receptaculum, vel rivulum, fortassè Naturâ, vel Arte favente, Choreas quammaximâ ducunt delectatione, nonnullis juvenum turbulis præ voluptate, deliciisque circumfluentibus, quibus non pauci canescentes quoque Anacreontes immixti, seriâ curiositate harmonicas illas contemplantes ineptias, tacitâ admonitione Juventutem veluti invitant, quasi dicentes:

Παρὰ τὴν σκιὴν &c.

Anacr. Od. 22.

Ad hanc umbram ò Batylle
Sedeto: decora est hæc Arbor,
Tenerasque quassat comas
Mollissimo ramulo;
Juxtàque illam murmure blanditur
Fonticulus fluens ipsâ Suadâ:
Quis itaq; sciens, ac videns preterierit
Diverticulum ejusmodi?

Prçtereà ex superiùs dictis colligitur variis Tarantatos affici inclinationibus: nàm alii rubro, alii cçruleo, alii luteo, alii nigro delectantur colore, ut vulgus credit; immò nonnulli Tarantati colores aliquos aversantur, itaùt pannos tali colore infectos, si quùm Choreas, saltationesque ducunt, ex tempore oculis capiant, si præ manibus habere queant, & morsu, & manibus lacerant, pedibusque veluti in contemptum pessundant, non sine manifesto iracundiæ indicio: ac propterea

pterea

ptereà Vulgus ait hos colores à Tarantatis odio haberi. Fallitur tamen Vulgus: nam pro rei veritate Tarantati nec amant, neque fugiunt colores: benè tamen ad alicujus coloris præſentiam validiori ſaltant impetu, ſi Choreas molliuſculas, laſſulaſque ducant: quod ſæpeſæpiùs ſolet accidere ex vividiorũ colorum pręſentiâ, ut rubro, cæruleo, ſimilibuſque, qui magnam radiorum copiam reflectentes ad illorum oculos, vibrationum fibrarum omnium robur adaugent: & hi Tarantati circà illos aſſiduò verſantur, illos cõtemplantur, ac proindè ab illis videntur delectari: quùm nullam tunc temporis percipiant ex illorum præſentiâ delectationem: nàm ùt ipſimet fatentur, à coloribus illis ad ſaltationes, vi quâdam ipſis quidem ignotâ, trahuntur, veluti à peculiari muſicorum inſtrumentorum concentu: undè nullus amor, nullum ex voluptate colorum peculiarium deſiderium.

Si iidem Panni vivacioribus pręedictis coloribus infecti Tarantato præſententur ſtrenuè, vehementiùſque ſaltanti, Is in furorem concitatur: nàm ſuprà roboris fibrarum oſcillantium exceſſum à muſicis inſtrumentis concitatum, nova ſuperadditur vis à Lucis radiis, validiori reflexione emergentibus. Secùs tamen accidet ex pannorum præſentiâ, ni-

gro, violaceo, vel obſcurè viridi colore imbutorum: in quibus quùm maxima radiorum pars ſuffocetur, in Tarantato ſuper exceſſu motûs fibrarum vibrantium, deficiet alterum roboris additamentum, à conatu reflexionis radiorum proveniens, qui à corporibus circumpoſitis juxtà illorum varios colores, diverſis reſiliunt viribus; Et hinc deducitur ratio vulgaris cujuſdam loquutionis: quùm dicere ſcilicet ſolemus: Regio hæc, Civitas illa, Domus iſta læta, hilaris eſt: Aliæ tetræ, & meſtæ; hilares namque lætitiâ noſtrũ recreant animum: tetræ illætabili nos afficiunt affectione: Domus illa etenim læta dicitur, quæ liberiori gaudet aëre: quæ valdè concinnè extructa lucis non habet inopiam; quæ parietes optimè dealbatos habeat, & à proximis non ſit ſuffocata Ædificiis; & Regio altioribus Montibus non ſit occupata: quæ verùm meſtæ dicuntur, omnia iſtis habent oppoſita. Undè Vitruvius Architectur. lib. 6. cap. 1. Regionum qualitates ab Ædificatoribus conſiderandas conſulit: *Namque Sol* (ait) *quibus locis mediocriter profundit vapores, in his conſervat corpora temperata, quæque proximè currendo deflagrat, eripit exugendo temperaturam humoris. Contra verò refrigeratis Regionibus, quod abſunt à Meridie longè, non exhauritur à caloribus humor: ſed è Cœlo roſcidus*

scidus aër in corpora fundens humorem, efficit ampliores corporaturas, vocisque sonitus graviores. & cap. 9. ejusd. lib. *Omnia Ædificia ut luminosa sint oportet curari, sed quæ sunt ad Villas faciliora videntur esse, ideò quod paries nullus vicini potest obstare. In Urbe autem, aut Communium parietum altitudines, aut angustiæ loci impediundo faciunt obscuritates.*

Nonnulli Tarantati Cœnum exoptant, in quo humi se prosternentes se volutant ut Sues, sonantibus tamen instrumentis: nam extrà Choreas appetituum omnium, cunctarumque inclinationum penitùs obliviscuntur. Nonnullis arma tractare lubet, dùm Choreas ducunt: itaùt *armatam quasi saltationem seù Pyrrhichiariam*, ità à Pyrrho Inventore nominatam, repræsentent; (in not. Godeschalci Stewechii in Veget. lib. 1. cap. 19.) Juniores namque Milites Romani saltationibus exercebantur: Ità Flav. Veget. de re militar. lib. 1. cap. 9.; *Ad saltum etiam, quo vel Fossæ transiliuntur, vel impediens aliqua altitudo superatur exercendus est miles . . . . De exercitio Gn. Pompeij magni Salustius hoc memorat: Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.* Puellas tamen Romanas, quod motus Ionicos docerentur, idest molles saltationes, improbat Horat. Carmin. lib. 3. Od. 6., quas Iones

primos

primos inveniſſe aliqui autumant.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura Virgo: & fingitur artubus
Jam nunc, & inceſtos amores
De tenero meditatur ungui.

Aliamque non armatam Pyrrhicam ſaltationem ſimplicibus quibuſdam nec valdè honeſtis aliquandò motibus celebrare ſolent; de hac Pyrrhicâ ſaltatione eleganter Coriolanus Martirani Nobilis Coſentinus, Epiſcopus S. Marci, qui prȩter eruditiſſias, abſolutiſſimaſque octo Tragȩdias, duas quoque Comȩdias conſcripſit, in Comœdia 2. cui titulus, NUBES:

. . . . quùm Choros
Agunt in Feſto Palladis; blandis, Charin
Genis ſpirantes, ac frangentes motibus
Priſcam nefandis, impuriſque Pyrrhicam.

Speculis alii ſaltantes ſe delectant, & veluti peculiari ſtudio ſpeculum de ſuâ formâ conſulunt, circà quod ſȩpeſȩpiùs verſantur. Nonnulli, ſed ſat raró, pluribus cedi cupiunt verberibus, & quandoque non levioribus, quæ a quolibet ex Adſtantibus exquirunt, Ipſiſque non mediocris ſunt in illo caſu levaminis. Qui plurima verò circà verberũ in Medicinâ proficuum uſum legere exoptat, adeat Eruditiſſimi, ſolertiſſimique Philoſophi, ac Medici D. Aloyſii Viſonis tractatum lucu-

luculentiſſimum ſuper hac materiâ ſat appoſitè linguâ ethruſcâ conſcriptum, brevì, ut mihi jam ſatis conſtat, ab ipſomet Authore in lucem editurum. De Tarantatis verbera cupiẽtibus ſic Epiphan. Ferdinan. hiſt. 81. cap. 2. *Alii verbera cupiunt in calcaneis, in Ano, & videntur habere ſymptomata majora quàm Melancholici, Maniaci, & Lycanthropi; alii mordent alios, ſemetipſos verberant.*

Quod tamen conſtanter obſervatur, illud eſt: Tarantatorum videlicet inclinationes nõ ſolùm in qualibet Choreâ eaſdem experiri, verùm etiam in quolibet anno, dùm recrudeſcente Tarantiſmo conſuetis Tarãtati choreis indulgent, ſimilibus quoque afficiuntur inclinationibus, iiſdemque ſonorum proluſionibus ſaltant.

Quùm igitur extrà Choreas omnium obliviſcantur inclinationum, nullumque habeant Tarantati rerum illarum deſideriũ, quas in Chorearum exercitio tàm perditè exoptabant: dicendum proindè erit, illarum rerum ideas, à Muſicâ in illis excitari, ob novas oſcillationum vires, novoſque fibrarum nervearum in oſcillationibus modos: qui quùm durante tantùm Choreâ perdurent, expeditâ evaneſcant: manifeſto argumento concludi poterit, muſicas inſtrumentorum proluſiones in cauſâ eſſe ùt ideæ prædictæ excitentur

in Ta-

in Tarantatis. Immò quùm variæ ſint, ut ſuperiùs dictum eſt, Tarantatorum inclinationes, & variæ quoque experiantur in variis Tarantatis ad eamdem ſonorum proluſionem ſaltantibus, & ab eâdem Phalangii ſpecie demorſis: ideò tanti negotii pagina à variâ Tarantatorum Hominum texturâ, ætate, veneni Tarantulæ ob quælibet accidentia, majori, minorique activitate, Phalangiique interdùm variis ſpeciebus, expleri poſſe autumo: Dixi *interdùm*, nàm aliquandò obſervamus, diverſas Phalangiorum ſpecies eoſdem in demorſis hominibus effectus parere, iiſdem illos inclinationibus afficere, & ad eaſdem ſonorum modulationes ad ſaltatus invitare. Atque hinc patet Authorum quorumdam ſententiam tàm præcipiti aſſenſu amplecti non debere aſſerentium: *in quo enim ſtatu, & opere Tarantula hominem morderit, in ea ſemper ſe conſervet, uſquequò venenum à corpore pulſum ſit, itaùt ſi mordet aliquē ambulantem, ſemper ille ambulet, ſi tripudiantem, ſemper tripudiet; ſi ridentem, ſemper rideat, maximè Æſtatis quibuſdam certis diebus, quamvis Mercurialis lib. 2. de venen. cap. 6. huic hiſtoriæ non multam fidem præſtet. Nos autem Meſſapiæ noſtro Oppido habemus, & videmus ſexcentos dixerim propè homines Tarantatòs, ut nos loqui conſuevimus, qui hujuſmodi habent ſymptomata,*

eoſque

eosque curiosiùs quùm interrogaverim, rem ità se habere, ut dixi, adinveni: Sic legimus in Epiphan. Ferdinandi Theorem. medic. lib. 3. Theorem. 42. quod tamen à nullo carpere potui Tarantato, quùm quamplurimos super hac re exploraverim. Quaderè non præter rationem à Hieronymo Marciano redarguitur in suâ Geographiâ Hydruntinæ Provinciæ, Opere quidem eruditissimo, & nescio quo fato adhùc in lucem non edito: ait enim in cap. 12. lib. 2. ubi elegantissimè de Tarãtulis differit, postquam ex Mercuriali prædictam refert Vulgi sententiam: *Un certo moderno Scrittore* (de Epiphanio loquitur, qui suus erat Coævus; undè in fine cap. 13. ejusdem libri: *Chi più desidera sù la Tarantola legga de' Moderni Epifanio Ferdinando ne' suoi Casi Medici, storia 81. il quale scrisse dopo di noi, e mandò prima a luce*) *Un certo moderno Scrittore afferma, quelche dice il Mercuriale, sebben egli ne dubbiti, esser verissimo, ed averlo egli visto mille volte nel Paese della Provincia d'Otranto: Ed io per lo contrario con averci fatto, sono da circa anni venti sù di questo esattissima osservazione, ed informatomi ancora da' Medici diligentissimi del Paese, e da Quei, che di continuo sonano per guarire i Tarantati, non solamente non l'ho potuto vedere, ma neppure da costoro udire.*

Hujus Scriptoris mentionem facit Epiph. obs. 81. cap. 1. *Leverani Oppidulo est mihi nō ignobilis amicus meus Medicus Hieronymus Marcianus, qui ad libram alteram serici ex tarantulis extraxit.*

Quapropter concludere jure possum Tarantatorum inclinationes ex constanti causa erui nequaquam debere, quùm potiùs accidentales sint, ut ex superiùs dictis sat clarè patet.

Sed ùt ad Tarantismi deveniamus curationem, licet in præsenti præter Musicæ remedium, ad ulteriora non confugiant Tarantati præsidia: placet nihilominùs nonnulla selectiora hìc referre; quæ, si candidè, & sincerè fateri velim, quamvis à me, amicisque meis Medicis, aliquandò in Tarantismo fuerint adhibita, nec votis exitus, nec indicationibus satagere valuit curatio: Quaderè postmodùm ad Musicam confugere, unicum, tutioremque in nostris his Regionibus Tarātismi Herculem, oportuit.

A proposito me aberrare non autumo, si curiosam, peculiaremque Tarantismi curationem, quæ in Cirno (*Corsica*) Insulâ communiter adhibetur, ut ex fidelibus habui Conterraneorum relationibus, candidè referam. Solent Cirnenses Aranei (*Ragni* linguâ vernaculâ appellantur) Junio mense,

&

& Messis præcipuè tempore, ùt, hìc ut plurimùm accidit, Rusticos illos morsu venenato afficere: venenique effectus, experimento constantissimo, illicò post morsum apparet: & talis est, ùt intolerabili frigoris sensatione, qui demorsi fuere constantissimè corripiantur; & ità totum corpus frigescere, ut tactu glaciei quasi gradum repræsentet: Intensissimâ simùl vexantur sitis molestiâ: Sed ab aquâ cavere, pluribus funestis experimentis cautum est: ex eo quià aquæ potus morbum exacerbat, & auget. Remedium in promptu est ex vino affluenter ebibito: pannisque laneis in Furno quammaximè calefactis totum veneno Infecti corpus involvunt: & tali pacto involutum intrà tepidũ Furnum ità componunt, ùt Patientis caput extrà Furni remaneat orificium: calefacto corpore, expleta penitùs curatio: nèc aliæ veneni remanent symptomata. Hæc omnia ab Amico meo, oculatoque Teste, habui D. Antonio Stephanopoli Sacerdote græco, & in hac Lycii Civitate actuali Græcorum Parochiæ græci Ritus Parocho, Paomiæ suâ Patriâ orto: quæ mediocre est Oppidum in prædictâ Cirni Insulâ à Græcis tantùm habitatum, & ab eisdem extructum, juxtà Savonæ Burgum sub Rhopico (*Calvi*): in quo Oppido græcus Christianorum Ritus observatur.

Supradicta tamen frigiditatis ſenſatio novus non eſt Tarantulini veneni effectus; nàm prȩter alia ſymptomata hoc quoque ab Epiphanio laudato obſ. 81. cap. 1. adnotatur: *Stupor adeſt in Tarantatis cum frigoris ſenſu, & horrore*: immò aliqui ex Antiquis, ùt Ariſtot. 8. de hiſt. Animal. cap. 4. frigidum temperamentum Araneis ipſis ineſſe arguunt: & idem Epiphanius in eodem cap. *aliis ſupervenit corporis frigiditas*: effectus quidem Antiquis Authoribus valdè cognitum: habemus enim ex Avicenna, Araneam horripilationem, & extremitatum frigus producere, ſicuti & ex Abubetro Tract. 8. cap. 5. Tarantula ægyptia, quæ & Scarocȩphalum ab Aëtio dicitur, & Cranolaptes à Nicandro, præter alia ſymptomata, ſunt frigus continens delirium &c. Nigra, & viridis facit ex Avicenna horripilationem, & frigus, & tremorem &c. Stellatæ ſymptomata ſunt, fortis dolor cum pruritu, horripilatione, ſtupore &c.. Citrinæ, tremor, & ſudor frigidus &c. Uveæ ſymptomata ſunt frigus totius corporis, horripilatio &c. Orobalis ſymptomata eædem ac Uveæ. Hæc ex antiquis, talemq; frigoris ſenſationem nos aliquando in Tarantatis advertimus.

Sicuti novum non eſſe Tarantulini veneni effectum, frigoris ſenſationem jam probavi-

bavimus; ità & curationis in supradictâ Insulâ consuetudinem penitùs novam existimari non debere, varia in Antiquis Authoribus extant monumenta: Nam Cornelius Celsus lib. 5. cap. 27. in curationibus communibus adversùs omnes morsus Serpentium, ait: *Post hæc is homo loco calido collocandus est*. & Petrus de Hebano inter cætera pro Tarantatis præsidia, præcipit, ipsos *in Arena calida, vel cinere calido sepeliendos esse*: quod in Abubetri filii Zachariæ Arasi Libro Divisionum his verbis scriptum invenio cap. 141. *Rutelæ autem mordicationi confert balneum calidum . . . . & sepeliri in arena, & cinere calido &c.* & idem Abubetrus Tract. 8. cap. 5. dum balneum calidæ per horam unam commendat ait: *toto illo die vinum purum paulatim in potu est tribuendum*: & ex Constantino in suo Breviario, seù Viatico lib. 7. cap. 11. de morsu Scorpionis: *Oportet ut dentur allia pistata cum vino comedenda: bibant vinum forte; in balneo assuescant sudare*. Rufus teriacam, balneum calidæ, & vinum vetus: Aëtius allium vinum, & balneum commendant: & in Celso legimus in eodem supracitato cap. 27. lib. 5. *Necessarium est exorbere potionem meri vini cum pipere, vel quidlibet aliud, quo calor movendus est, ne humorem intùs coire patiatur: nam maxima pars ve-*

neno-

nenorum frigore interimit.

Ex his clarè patet, ſupradictæ Inſulæ conſuetudinem pro Aranci morſûs curatione ex ſolidis Authorum veterum conſiliis deſumptam eſſe: Nam nil aliud aliqui ex illis Populis faciunt, niſi meri vini potionem Infirmis illis propinare, & in loco calido ipſos collocare, juxtà Antiquorum doctrinam; Preterea inter cæteras Tarantiſmũ curandi methodos, præter Muſicam in tali morbo Remediorum Reginam, efficacior, & rationi magis conſentanea mihi videtur ſupradictæ Inſulæ methodus, & conſuetudo: quam nihilominùs ſpernendam non eſſe, immò in Apuliâ, & in hâc Japygiæ Regione amplectendam, & adhibendam univerſos noſtræ Tarantulæ hortarer Conterraneos.

Georgius Baglivus in ſua Diſſert. de Tarant. cap. 8. uſtionem loci demorſi candenti ferro proponit, & laudat. *Ignis namque*, ait, *cum ſit de genere ſtimulorum, iſque ſtimulus vehementiſſimus, excitat in fibris affecti loci, & ſucceſſivè in toto ſyſtemate fibrarum humani corporis oſcillationem quamdam, ſivè motum vividum continuatum, & vehementem, qua ratione humores, qui ſunt ad contactum ſolidorum, ità oſcillantium, ſolvuntur, dimoventur, attenuanturque: & à veneno coagulante vix unquã figi poterunt, præſertim in affecto loco, ubi ſti-*

mulus

mulus ignis est potentior. Sed quùm Tarantulæ venenum, ùt hic semper experimur, activissimum sit, & illicò à morsu sæpesæpiùs intimiora penetret humani corporis penetralia, deberet Chirurgus in eodem instanti morsûs, vix ablatis à demorsi cute Tarantulæ forcipibus, statim ferrum candens admovere: sed quùm rarissimè hoc possit accidere, nullius usûs loci affecti ustionem adhibitam existimarem, & præsertim si post aliquot à morsu horas adhiberi decretum fuerit: non multum etenim requiritur temporis spatium, ut aliqua in corpus introducta venena, altiores in illo figant radices, & universalem corporis œconomiam funditùs evertere tentent.

Insuper ne remediorum farraginem sicco pertranseamus pede, selectiora tantùm ex Authoribus excerpta enumeremus: Ista itaq; è duobus desumuntur fontibus: à Chirurgiâ scilicet, & Pharmaciâ; quùm verò non pauca ex variis Authoribus collecta in disertissimi Epiphanii Ferdinandi unita inveniantur observatione 81. pluries notatâ, nos eapropter non pigeat, in compendium deducta hic loci apponere.

Et primo, Chirurgia non pauca nobis suppeditat præsidia. Suctionem scilicet ex Dioscor. lib. 6. cap. 40.: Cave tamen ne os

ulcere

ulcere affectum sit. Partis demorsæ frictio; nàm foràs evocat venenum, ùt ait Epiphanius laudatus. Columbi, & Gallinæ recenter occisæ ex Dioscoride, & Oribasio, vel eorũdem animalium viventium pars postica, scilicet anus, super vulnusculo imposita. Particulæ vulneratæ incisio, & scarificatio. Vesicatoria ex cantharidibus. Cauteria ferro ignito ex Albucasi, vel Caustico potentiali parata: à quo forsan exemplo ductus Baglivus partis demorsæ ustionem commendavit, ùt superiùs diximus. Cucurbitulæ tàm scarificatæ, quàm simplices. Hirudines &c. Hoc tamen advertendum hęc remedia nõ solũ contrà Tarantulæ morsum efficacia fore, verum etiã in quorumcumque Animalium venenosorum morsu usurpari possunt. Sed quamcitissimè sunt adhibenda, ùt idem advertit Epiphanius; *nàm si aliqualis mora intercedat, locum non habent, nam transivit occasio, cùm jam venenum ad altiora se contulit*. Venæ sectionem non multi æstimandam in morsu Tarantulæ suadet: licet aliquãdo proficuam fuisse, ex pede celebratã, quùm ictus infrà renes fuerit, & adsit plethora, scribat.

Ex Pharmaciâ; Semen pastinacæ sylvestris ad dracmam 1. ex Dioscoride in vino bibitum: Origani folia ad instar Cataplasmatis imposita, vel pulverizata ad dr. j ex vino.

Deco-

Decoctum Centaurij mi: ex Gal. in libr. de experimentis: vel Phalangia ipſa in pulverem redacta,& ad dr. j. ex vino pota, ex eodẽ de Teriac. ad Piſonem cap. 10. Ariſtolochiæ rotundæ radix pulveriſata ad dr. j. ex vino bibita, ex Oribaſio: Nigellæ ſemen ad dr. j. ex vino potum ex Serapione. Stercus Capræ ſuper vulnuſculo impoſitum ad inſtar Cataplaſmatis ex Chyrardo. Balneum aquæ marinæ ex Dioſcoride: Aquæ dulcis calidæ; Teriaca, ſuccus foliorum mori, Vinum merum, Allium, Cuminum, Agnus caſtus, aquæ Maris calidæ Balneum ex Raſi. Teriaca, Balneum, & vinum vetus ex Rufo. Electuarium ex foliis rutæ ſiccæ, Coſti, Menthaſtri, pyrethri aa. part. æqual. & aſſæ fętidæ pro quartâ omnium parte cum melle l. a. compoſitum, & ad dr. j. cum vino exhibitum ex Albucaſi. Panis commanducatus, & ſub Cataplaſmatis formâ ſuper vulneratâ parte impoſitus ex Raby Moyſe. Grana Terebinthi cum vino bibita ex Chriſtophoro de honeſtis. Hæc omnia Epiphanius memorat. Sed quæ ipſemet valdè commendat ad quinque reducit remediorum ſpecies.

Primò aquam vitę, quæ ex vino veteri, & optimo ſit extracta ad unc. j., jj., vel iij. juxtà ętatem, & ſymptomatum magnitudinem. De hoc remedio, ſi verum fateri ve-

ſim, in variis Tarantatis, utilia aliquandò experimenta obſervavi, æſtatis tempore ad unc. j. exhibito; ſymptomata namq: mitiora reddit, & Tarantiſmi recrudeſcentiã aliquantulùm cohibet: morbũ tamen non eradicat: nec aliquod ex ſymptomatibus penitùs extinguit.

Secundò: Eſſentiam Roris marini non ſolùm commendat: ſed ſe pluries in morſu Tarantulæ illam expertum fuiſſe fatetur.

Tertio: Suam aquam vitalem laudat, cujus deſcriptio ſequens eſt.

,, ℞. flor. citranguli bonam quantitatem,
,, fol. tener: querc., Card. B., Scabios.
,, acetoſell:, Sonch:, Salv:, Majoran:,
,, flor: lavend., abſynth. Ror: mar:, tuſſi-
,, lag. roſar. r. ſiccar., Scorzoner. me-
,, liſſ:, pimpinell:, borag., fol: arbut.,
,, lenticularis, ruthæ an. man. iij., Cy-
,, per. noſtr., radic. angel., baccar. laur.,
,, juniper., cort. citr., Tormentill.,
,, Zedoar. an. unc. j., Cinnam. Ca-
,, ryophyll. an. unc. ſs. Deſtillentur om-
,, nia in Balneo Mariæ, & Aqua ſervetur.

Quartò: Suum proponit Antiphalangiũ, quod electuarium eſt, ut ipſe ait in quolibet Tarantulæ morſu excellentiſſimum: & ſequẽti componitur modo:

,, ℞. fruct: myrt:, & Tamaric. an. unc
,, j., ſem: paſtinac:, nigell., agn: Caſt.,

,, dauc:, anis., Cumin., & Origan: an.
,, dr. j. terr. sigill:, & bol. arm. or: pp.
,, an. dr. ij., cent. mi., aristol. rot. an.
,, dr. ss., fol. meliss., trifol: bitum:, cha-
,, mepyth:, & abrotan: an. p. ss., Te-
,, riac. opt. & Mithridat. an: dr. ij.
,, Succ: Cępar:, allii, plantag., atri-
,, plic., heder: depurator. an. q. s., cum
,, melle fiat Syr., cum quo fiat electua-
,, rium, addendo aquæ vitæ q. s.

,, Dosis sit à dr. j ss. ad dr. iij. Da-
,, tur cum vino præservationis gratiâ
,, ad dr. j. bis, & semel. Datur præsē-
,, te veneno ad dr. iij. bis, & ter, &
,, plùs cum vino.

Quinto, Musicam miris extollit laudibus, de quâ sic loquitur: *Sed propter hæc in hac nostra Regione, per totam Apuliam nullum aliud certè genus Remedii promptius exercetur, quàm Musica in Tarantatis, & certè res est mira de Musicâ, & nisi propriis oculis videatur, non creditur . . . . . ergò magis præsentaneum, & promptius remedium in hâc Regione non invenitur ipsâ Musicâ, & hoc præter experientiam quotidianam, testantur Alexander ab Alexandro, Matthiolus, Paræus, Gaudentius Merula in lib. Memorab., Jo: Juven. de antiquit:, & var. fortun. Tarentin. lib. 4. cap. 4. Boterus in Relation., Petr. Gilius, & Petr. Rhodius &c. neo-*

 terici.

terici. Sed apud Antiquos nulla est mentio de Musicâ, sed tantùm apud Neotericos. Et huic Capiti finem imponamus.

CAP. XIX.
De Miraculosa Tarantatorum Curatione.

ORdo rerum à Deo pro naturali cursu instituturum, ità suis finibus inclusus est, sejunctusque ab his rebus, quæ Divina virtute, & voluntate fiunt preter Naturam, ut hæc omnia si tollantur, nihil sit in rerum Natura, quod desit, nihil quod supersit: ità Jo: Picus Mirandulæ in Astrologiam lib. 4. cap. 14. pag. 546. Quæ igitur juxtà hunc ordinem fiunt, secundùm Naturam fieri dicuntur, quæ verò ab hoc ordine aberrant, præter Naturæ leges accidere, clarum est. Quæ secundùm Naturæ leges fiunt, naturalis Philosophia intelligit, & eorum operationes perscrutando, è propinquo plùs, minùs consectatur. Qui verò naturalium rerum effectus secundùm ordinarias Naturæ leges non eveniunt, sed suprà consueta jusdem instituta patrantur, hæc quidem prodigia sunt: quæ nihilominùs vera poterunt esse miracula, quorum Sanctissima Religio nostra infinita ferè ostendit exempla; *vel ex demonicæ potestatis ignoratione pro veris miraculis recipiuntur, quæ prestigia sunt, adul-*

adulterinaq: ostenta : ut cum Joan: Franc. Pico Mirand. libr. 9. de Rer. prænot. cap. 5. pag. *Mihi* 703. loquar ; in cujus novem libris de Prænotione sat diffusè, & disertè agitur de divinâ scilicet, naturali, superstitiosâ, curiosâ, de earum partibus, proprietatibus, & de illis internoscendis. Pręstigia quidem sunt, quæ in tabellâ marmoreâ in Æsculapii Templo in Insulâ Tiberinâ inventâ, & apud Maphæos conservatâ à Mercuriali leguntur in Artis gymnast. lib. 1. *de Cajo quodam Cæco, cui oraculum reddidit, veniret ad Sacrum altare &c. & rectè vidit populo præsente, & gratulante, quod grandia miracula fierent sub Imperatore Antonino. Lucio affecto lateris dolore, & desperato à cunctis hominibus oraculum reddidit Deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem &c. convaluit, & publicè gratias egit Deo &c. Juliano sanguinem revomenti, desperato . . . . respondit Deus veniret . . . . convaluit. Valerio apro Militi Cæco oraculum reddidit Deus, veniret, & acciperet sanguinem ex Gallo albo . . . . . vidit, & venit, & gratias egit publicè Deo.*

Diabolum in corpora potentiam quamdam habere, morbos quoslibet producere posse: vel ex naturali genitos causâ persanare, in dubium non revocatur : ac proindè supradictas morborum ex oraculo curationes diabolicas

licas prorsùs esse asserere non veremur. Nàm aliquandò Diabolus temporibus illis, vel morbos excitabat, vel jam productorum curam impediebat, ut miserrimę illæ gentes desperatam contemplantes ægritudinem, ad suas recurrerent Deitates, diabolica scilicet Oracula; à quibus quùm perfectè sanarētur, suum Diabolus magis firmaret negotium, faciliùsq; ethnicos illos sub miraculorum specie suâ deciperet solertiâ; sed aliquandò per maleficos Viros, vetulasque aliquid operatur: hinc Jo: Bapt. Codronchius lib. 3. de morb. venef. cap. 6. ait: *& hæc quamvis Dæmon per se facere possit; nihilominùs ob fędus cum Maleficis initum, sæpè, ac sæpiùs pro earum arbitrio, & voluntate operatur, ut mediis quibusdam instrumentis, & veneficiis, quoquo pacto cogi videatur*. Quùm verò super talibus morbis majùs habeant jus Ecclesiæ exorcismata, quàm medicæ Artis Canones, suis ut curentur concedendi sunt Ministris, qui ægritudinum illarum causam radicitùs evellere valent: licet non negaverim aliquas maleficorum morborum reliquias Medicis quoquè extirpandas remanere.

Ex dictis facilè desumitur argumentum, penitùs damnandos esse *Magos*, *Expiatores*, *Circulatores*, *ac arrogantes ostentatores*, *qui se valdè pios esse*, *plurimùmque scire simulant*:

ùt ait

ut ait Hippocrates lib. de morb. ſacr.: & hi Pſeudomedici, Medicorum Perſonam repræſentare contendunt, ſed *ſub illorum Perſonâ*, ùt legimus in Jo: Langio epiſt. 1., *aut Judæum perfidum, aut Monachum Apoſtatam, vel omnium bonarum Artium Ignarum, Agyrtas, Ardelionem, aut Anus Incantatrices, ac id genus farinæ hominum latère deprehendes, qui nihil non audent, quo ab afflictis ægris per fas, & nefas pecuniam emungant: Oh ſceleratum pecuniæ aucupium! quid non mortalia pectora cogis audere?*

Sagas, & Preſtigiatores Homines inveniri ex Sacris literis, & ex Legislatorum libris, qui Magos certis damnāt pœnis, preter experientiam, quæ aſſiduis nos exemplis certiores reddit, ſatis ſuperque manifeſtum eſt: Sagarum tamen, & Præſtigiatorum virtus adeò vana, & fabuloſa non eſt, ut voluit Gaſſendus in ſuo Tractatu *de Qualitatibus occultis*; In verbis verò, quæ ab ipſis proferuntur, nullam eſſe virtutem, hoc verum exiſtimo; effectus nihilominùs, qui illis recitatis carminibus producuntur, non ob carminis vim fiunt, vel veri ſint, aùt preſtigioſi, ſed ex pacto aùt tacito, aut expreſſo, in verborum illorum pronunciatione implicito à Sagis, & Præſtigiatoribus cum Dæmone paciſcentibus facto; & ſui generis piaculum eſſet,

in tali

in tali casu fœdifragum Dęmonem inveniri: Sagarum igitur carmina, execranda sunt pactionis signa, quæ aliquandò, ut Diaboli nõ appareat fraus, è Sacris desumpta sunt paginis: illisque vix pronunciatis verbis, Diabolus ad Sagarum lubitum proposita operatur præstigia: & en Præstigator, Pseudopropheta, Pseudomedicus, &c. optati tamen effectus Author non Saga, non Præstigiator, sed Dæmon ipse est, qui immediatè ad Sagarum, ex pactione, operatur sententiam, Quid enim sola verba, aut characteres ad morbos producendos, vel profligandos, vel quoslibet alios generandos effectus, virium habere possent, si nulla superior accesserit causa?

Serpentes, nescio quibus susurratis carminibus, olìm ferociam deposuisse, aùt mortem obiisse ex magicâ Psyllorum & Marsorum virtute veneficâ ex Plinio habemus; & hìnc Serpentium venena contemnere scribit, lib. 8. cap. 25. Populosque alios Ophiogenes à Serpentibus non lædi, Author est Strabo lib. 17., & Plin. lib. 7. cap. 2.: quæ si vera sunt (nec ipse absolutè falsa existimo) diabolicâ arte patrabantur, ùt ex superiùs dictis jàm clarè constat. Nàm Serpentes ab iis devinciri, & Diabolum in eâ re aliquid operari scribit D. August: de genes. ad liter. lib. 11. cap. 18.

Tentyri-

Tentyritarum autem Ægypti Populorũ audacia mera fabula eſt, Crocodilos terrere, ut ex Plin. lib. 8. cap. 25. *Adverſum quos ire hi ſoli audent, quin etiàm flumini innatant, dorſoque equitantium modo impoſiti, biantibus reſupino capite, ad morſum additâ in os Clavâ, dexterâ, ac lęvâ tenentes ejus extrema utrinque, ut frenis, in terram agunt captivos, ac voce etiàm ſolâ territos, cogunt evomere recentia corpora ad ſepulturam.* Veritati autem magis arridet, quod à Laurentio Pignorio in Expoſitione vetuſtiſſimæ Tabulę æneę, quæ Mēſa Iſiaca ab ipſo appellatur, qui Tentyritarum in beſtias illas odium inveſtigatur: ait enim. *Tentyritæ, & Apollonopolitæ egregiè, qui noxias beſtias oderant, & interficiebant, cauſam quæris? Typhonem Oſiridis illum interfectorem, Deorum omnium hoſtem in Crocodilum converſum eſſe exiſtimabant. Typhonem hunc, ne indictum abire patiamur, arbitrabantur Ægyptii vim quamdam malam, & tyramnicam eſſe; à quo, ut verbo dicam, incommoda omnia fluerent. Hæc ipſis Typhon, Seth, Bebon, & Smy appellabatur. Oſſa Typhonis ferrum, Typhonem ipſum rufi coloris fuiſſe dictitabant. Undè Manilius.* . . . .

Anguipedem alatos unguesTyphona ferētem.

Ab hac radice pullularunt Magorum ſomnia de Oromaza, & Arimanio, Manichęorum Com-

menta: Incantatorum præstigiæ &c.

Psyllos autem, & Marsos, & Ophiogenes Populos, qui cum Serpentibus tàm tutâ tractabant consuetudine præter incantationum vim, Serpentium veneni facultas, & natura haud prorsùs latebat: Sciebant enim Serpentium venenum morsu tantùm officere: undè illorum ictum vulneris suctione curabant: in Cornelio Celso enim legimus lib. 5. cap. 27. in curationibus communibus adversùs omnes morsus Serpentium: *Dein venenum extrahendum est: id Cucurbitula optimè facit . . . . Si ne id quidem est, homo adhibendus est, qui vulnus exugat. Neq; hercules scientiam præcipuam habent hi, qui Psylli nominantur, sed audaciam usu ipso confirmatam: nam venenum Serpentis, ut quędam etiàm venatoria venena, quibus Galli præcipuè utuntur, non gustu, sed in vulnere nocent; ideoque Colubra ipsa tutò estur: ictus ejus occidit. Et si stupent ea, quod per quædam medicamenta Circulatores faciunt: in os digitum quis indidit, neque percussus est: nulla in eâ salivâ noxa est; Ergò quisquis exemplum Psylli sequutus id vulnus exuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem pręstabit: illud ne intereat antè debebit attendere, ne quid in gingivis, palatove, aliaque parte oris ulcus habeat &c.*
Et Lucani Cato ùt aquam quamdam serpē-

tibus

tibus plenam, ſuis repugnantibus militibus, tutò bibendam inſinuaret, ità illos alloquutus eſt: lib 9. v. 614.

Noxia Serpentum eſt admixto ſanguine peſtis.
Morſu virus habent, & fatum dente minantur:
Pocula morte carent. Dixit, dubiumq; venenum
Hauſit . . . .

ùt ratos ſcilicet, tutioreſque ſuos redderet milites, per arenoſas Lybiæ ſolitudines iter facientes, æſtu, & ſiti fatigatos.

Ex ſuperiùs dictis igitur conſtat, Præſtigiatorum, Sagarumque carmina, & magica remedia, quæ naturali virtute morbos nequeunt ſanare: ſed trans naturæ leges, ſuas patrarent operationes, diabolicum eſt, fictũque miraculum; ſuperſtitioſum equidem eſt, morbos aliquos, vel carminibus, vel periaptis, amuletisque finiri. De inanibus, anilibuſque his curationibus plurima legi poterũt apud Fernelium exempla lib. 2. de abdit. Rer. cauſ. cap. 16.

Ad hæc me herclè Pſeudomiracula confugere Sanctiſſima noſtra vetat Religio, quæ ad vera miracula, ſi opus fuerit, conducentes innumeras nobis aperuit ſemitas. Immò ſi Medicus (quod Deus avertat) ad ſuperſtitioſa pro morbis curandis recurrat præſidia, inter duos periculoſiſſimos incluſus ſcopulos, incidet in Scyllam cupiens vitare Charybdim:

etenim vel infidelitatis, aut saltem non integræ fidei accusandus, imbecillis, & perditus homo: vel suæ scientiæ manifestò accusat imperitiam.

Quæ verò à Circulatoribus, loquacibusque promittuntur Circumforaneis, ægrotis scilicet Viperæ, Scorpionis, Tarantulæ, aut alterius animalculi ictum passis, vulnusculum excantando, ut ipsi ajunt: vel superstitiosa omninò sunt, & ab iis cavendum; vel manifestum condunt imposturæ nucleum, & absque exceptione sunt fugienda; nam tali solertiâ credulas, simplicesque gentes decipiendo, nullâ induti verecundiâ, se veluti è Cœlo elapsos significantes, nonnullosque de Stirpe Divi Pauli se ortos, impudentissimè dicentes, signa quędam, vel sub linguâ, vel sub genuum flexurâ, vel in brachiis, vel in tibiis, Gentibus illis demonstrantes, quæ ad instar Serpentium sunt, quùm nihil aliud sint nisi venæ quædam varicosæ: faciliori forte sibi fidem adipiscuntur, & sua malè composita faciliùs vendunt Pharmaca: hinc ære tali pacto extorto: credulisque gentibus malitiosâ loquacitate ductis, pharmacorum, ad morbos profligandos non expectato periculo, illis terga vertunt, aliò quæstum facere, aliasque gentes decipere, certo, similique decernentes consilio.


Quod

Quod attamen notandum hic duxi, miraculosam Tarantismi curationem advertere hujus loci est. Hic in Japygiâ ad instar Civitatis Oppidum est, Sancti Petri in Galatinâ, in vico scilicet, Calatina dicto, post Evangelicam Petri prædicationem constructum: & ab Atheniensibus, ut fama est, post Athenis destructionem Ædificatoribus Calathina appellatum, quasi pulchra Athenes: ab hâc Lycii Civitate tredecim milliaribus versùs Austrum distat, & veluti in Peninsulæ umbilico situm est, juxtà Antonii Galatei observationes: nàm utrimque à Mari Hadriatico, & Ionio tredecim milliaribus abest. Fama est penes omnes illius Oppidi Cives, nullis aliis suffultos argumentis, nisi perpetuæ, continuatæque traditionis testimonio; Divum Paulum Apostolum per unius noctis spatium (quânam occasione obscurum) post Petri prædicationem, Leucadis, seù Sanctæ Mariæ Promontorium, nostra maria navigando pertransientem, in Galatinæ Oppidum clàm præ Tyramnorum timore, Neophytos invisendi causâ perventum, percōtatum fuisse in cujusdam Religiosi Viri Domo, quæ adhuc extat, & Divi Pauli Domus idcircò appellatur, Varia super hâc historiâ narrāt Oppidi illius Cives; sed quæ præcipua est conditio, virtutem ajunt à Deo per Jesu-

Christi

Chriſti merita Divum Paulum impetraviſſe pro Viro illo, ſuiſque Deſcendentibus, ùt illius pietati gratificaret, quoslibet à venenoſorum Animalium ictu, ut Scorpionis, Viperæ, Phalangii &c. in nomine Domini vulnuſculum Cruce ſignantes perſanarent: putei cujuſdam aquam, qui in eâdem Divi Pauli Domo eſt ad mediocrem quantitatem ægrotis illùc convenientibus bibendam imperantes. Nunc extinctis familiarum ſucceſſionibus, quæ ab illo Viro originem traxerant: nonnulli ægroti ſtatim ac à Tarantulâ, Scorpione, aùt Viperâ icti fuere, & dùm recens venenum eſt, ad puteum illum accedentes, qui adhùc extat, à Divo Paulo ſalutem implorantes, illaſque bibentes aquas, ſanos protinùs evadere ajunt, lætoque animo ad Domus ſuas redeuntes, Apoſtolo Benefactori gratias agere. Et hæc eſt Civium Galatinæ traditio, qui hujus farinæ curationum varia narrant exempla. Integræ tamen ſinceritatem hiſtoriæ uſquequaque concedendam, noſtri non eſt Inſtituti hîc loci decernere: funditùs denique evertendam, & naturali illius aquæ virtuti totum concedere negotium, Civium illius oppidi fidei non parùm dirimit, & obtruncat: Qui in obiicientium contumeliam in hæc forſan prorumperent verba: Abite in malam crucem Scioli, Innovatores,

res, Pseudophysici, Increduli: Audite Jesum dicentem: *Ecce enim dedi vobis potestatem calcandi super Serpentes, & Scorpiones, & super omnem virtutem inimici*. Ajunt prætereà huic traditioni fidem præstandam, quamvis in Actis Apostolorum nihil de hac re legatur, quùm sæpissimè parvi momenti negotia, veluti paginas infarcientia prorsùs negligantur à Scriptoribus, si ad historiæ perfectionem nil possint proficere. Ipse denique ne ab istorum obruar imprecationibus, ultimo hujus Opusculi Capiti finem imponam.



TA-

TABULARUM EXPLICATIO.

TAbula I. Figura I. Phalangium oſtendit, quod vulgò Tarantula appula appellatur. *A* Caput. *B B* forcipes. *C C* Antennæ. *D D D* &c. pedes. *E E* &c. ventris pars poſterior. *F* dorſum *ffff* &c. oculi

Figura II. Phalangii appuli partem anteriorem oſtendit.

A A oſſa unguiformia forcipum. *B R*, *B R* oſſa navicularia. *ffff* &c. oſſium navicularium dentes. *g* oſſis unguiformis mucro. *q* articulatio oſſis unguiformis cum naviculari. *C C* Antennæ. *H H* &c. Thorax, in quo varii obſervantur ſulci. *D* os forcipulis munitum. *h h* &c. primum os pedum. *i i* &c. ſecundũ os. *K K* &c. tertium os. *l l* &c. quartum os. *m m* &c. quintum os. *n*, *o*, *n*, *o* &c. pedum extremitates cum corpore ſpongioſo, & unguiformibus oſſiculis. *X* genitalium apertura. *o o o o* forcipuli, quibus genitalium apertura munitur. *G G G* proceſſus mammiformes tranſverſim ſecti, phalangiorum ſtaminis emiſſaria. *F* quartus proceſſus mammiformis, integer. *S* quintus proceſſus mammiformis, in quo anus inſculptus eſt. *L* ſtamen, *M M* duo rimulæ reſpirationis inſtrumenta. ſeu Ventilabra.

Figu-

Figura III. Phalangii argentei majoris caput, in quo oculorum obſervatur diſpoſitio *fff* &c. diverſa à Phalangii appuli oculorum ordine.

Figura IV. Phalangii appuli, & argentei majoris forceps demonſtratur. *A* os unguiforme. *g* ejus mucro. *bb* baſis, qua oſſi naviculari articulatur. *B* os naviculare. *e* navicularis pars, quæ ſub anteriori phalangii capitis parte articulatur. *fff* &c. oſſis navicularis dentes utrinque tres, qui rimulam interſepientes os unguiforme ad eſcam maſticandam excipiunt. *q* oſſis navicularis dorſum.

Figura V. Phalangium oſtendit aperto Thorace, & Abdomine, ùt videantur infraſcriptæ particulæ: *B C* Capſula ſalivalis cum ductu ſalivali *A B* in ſitu. *eeee* &c. Capſulæ ſalivalis vaſcula corpori pulmoniformi implantata. *ssss* &c. Corpus pulmoniforme veſiculoſum, aut glanduloſum. *nn* rimulæ laterales in ſuperiore Abdominis parte juxtà genitalium aperturam, reſpirationis organa. *X ooo* genitalium apertura forcipulis munita. *K K K K* Abdominis aperti inverſæ membranæ. *mmmm* Ovaria. *iiii* &c. ſtaminei glutinis receptacula. *gggg* appendices mammiformes. *b* quinta appendix, ubi anus inſculptus eſt. *F* ſtamen ex appendicibus continuatum.

Figura VI. Capſulam ſalivalem demonſtrat,

ſtrat, *D* Capſula ſalivalis aperta. *A B* ejuſdem ductus: *A* ductus orificiũ in os Phalangii hians. *e e e* &c. Capſulæ ſalivalis vaſcula. *F F* Corpus linoſpermoideum à capſulâ ſalivali extractum. *g g g* &c. Corporis linoſpermoidei vaſcula, quorum ope internæ ſuperficiei capſulæ ſalivalis adligatur.

Figura VII. *C C* forcipum oſſa unguiformia. *D D* antennæ. *m m n n* forcipuli majores, & minores circà os *F*. *H H H* Thorax. *A A* rimulæ reſpirationis organa. *o o o o X* genitalium apertura cum forcipulis. *E E E E* Abdomen. *GGGG* mammiformes appendices. *S* quinta appendix in quâ anus. *K K* ſtamina à mammiformibus appendicibus prodeuntia. *i i i i* pedes.

Tabula II. Figura I. Phalãgium oſtendit cum forcipibus anomalis. *H* os. *i i i i* maxillæ circà os radiatim poſitæ. *A g E*, *A g E* forcipes anomali, in quibus varia obſervantur forcipum genera. g pedunculus, & ùt ità dicam radix forcipum, cujus ope fronti implãtantur. *f h* duo globuli à pedunculo g continuati, quorum *h* eſt veluti trium forcipum baſis; *e* pedunculus forcipis ſcorpioidis. *dd* duo globuli ſucceſſivè huic pedunculo articulati. *A a* duo forcipũ maxillæ, quarum ſuperior, & major *A* immobilis, inferior, & minor *a* mobilis. *B b* forcipes proprii generis, qui per maxillam dentatam *B* oſſi globoſo *h*

arti-

articulantur. *b* os unguiforme. *E* forcipulus unguiformis, qui ex tribus conſtat oſſibus: pedunculo ſcilicet *n*, cujus ope oſſi globoſo *b* articulatur: oſſe globoſo *E*: & oſſe unguiformi *c*. *G* Thorax. *KK* pedes. *mm* rimulæ reſpirationis organa. *L* genitalium apertura. *M* appendices mammiformes, ubi anus.

Figura II. Phalangium binoculum repræſentat forcipibus ſcorpioidibus munitum, in quo partes præcipuæ, & notabiliores ſunt. *A* primum os forcipum fiſtuloſum ſub fronte articulatum. *B* ſecundum os forcipum. *CE* forceps, qui caput avis repræſentat, in quo *C* maxilla ſuperior immobilis, & in rimâ, quæ per ejus longitudinem excurrit utrinque dentata. *d* punctum nigrum in ſuperiori maxilla inſculptum ad inſtar oculi. *E* Maxilla inferior mobilis dentata. *F* maxillarum proceſſus, ſeù dentes. *D* extuberantia ſuprà caput Phalangii, in quâ duo tantùm infixi ſunt oculi *GG*. *HH* antennæ. *ffff* pedum extrema, quæ ſpiralitèr in extremitatibus ad Phalangii lubitum convolvuntur, ex multis compoſita oſſiculis, itaùt quilibet pes ex ſeptuaginta quatuor oſſibus componatur.

Figura III. Phalangii portionem oſtendit cum forcipibus anomalis ex parte ſcilicet poſteriori. *A* maxillarum extrema, *BB* oculorum ſitus, & diſpoſitio, *C* dorſum.

Figura IV. *A* æſophagi apertura. *B* cor-

poris pulmoniformis dimidium. *CCCC* æſophagus. *M* æſophagi inſertio in abdomen. *FFF* muſculi thoracici in primâ pedum oſſa ſeſe inſerentes, pedumque motibus obeundis deſtinati. *G* rimula ad reſpirationem, ſeù ventilabri orificium in ſitu. *H* ventilabri, veluti crumena, inversâ abdominis membranâ *LP* apparens, cui adligatur marginibus *qqqq*. *tt* varia vaſcula per crumenæ membranas excurrentia, forſan inſtrumentorum pneumaticorum vaſcula. *K* genitalium apertura. *D* ovaria. *EEEE* corpus hepatiforme. *rrr* inteſtinum rectâ cum æſophago continuatum in anum deſinens. *ooooo* ſtaminoſi glutinis receptacula à corpore hepatiformi ortum ducentia, & in internam deſinentia appendicum mammiformium ſuperficiem. *sss* appēdices mammiformes, variis porulis in apice perviç.

Dùm Tarantulæ deſcribebam Anatomen, Amicus meus Dominus Petrus Rolli, ſe obſervaviſſe fatebatur, Tarantulas à peculiari foramine juxtà mammiformium proceſſuum radices, ab ipſiſque proceſſibus circumdato materiam ſtaminoſam eximere: papillulaſq; ad inſtar digitorum nentibus Tarantulis inſervire, quod falſum eſſe prædicto Amico meo demonſtravi: nàm præter quoſdam porulos in papillarum apicibus inſculptos, qui materiæ ſtaminoſæ vaſorum excretoriorum ſunt orificia, nullum aliud juxtà papilla-

rum

rum radices obſervatur foramen.

Figura V. *D B E* Capſulam repręſentat Phalangii ſphæroidei argentei majoris, in quâ ſua parit ova. *A* capſulæ operculum pentagonum, vel hexagonum, aut quandoque heptagonum. *C* ova innumera ſericeis ſtaminibus obvoluta.

Figura VI. Capſulam ovariam Phalangii appuli oſtendit. *A* capſula integra. *B* Capſula per medium ſecta ovis plena.

Figura VII. Phalangium appulum repręſentat ex parte poſteriori. *A* Thoracis pars poſterior, ſeù dorſum. *b b b b* oculi. *B B B B* poſtica abdominis membrana diſſecta, & inverſa, ut appareant. *C C C* corporis hepatiformis dimidium. *E E O* inteſtinum ſecundùm abdominis longitudinem rectâ excurrens. *H H H* muſculi longiſſimi à Thoracis oſſe incipientes, à dorſi oſſis extremitatibus originem trahentes, & in internam appendicum mammiformium cavitatem deſinentes, & muſculi ſunt Appendicum mammiformiũ proprii, qui ſuprà corpus hepatiforme ex poſteriori abdominis parte excurrunt: à me primò inventi.

Figura VIII. & IX. Phalangii cujuſdam particula pro Pene à Domino Bon demonſtrata *B*, *C*.

Figura X. Phalangii particula, quæ pro Pene à Domino Bon habebatur. *a* particulæ

læ mucro in inteſtinulum *a c* continuatus. *b b b* iſtius particulæ radices.

Figura XI. Phalangium, ſeù Tarantulam appulam demonſtrat naturalis magnitudinis.

Poſtquàm, candidiſſimè Lector, figurarum explicationis lectioni ſtuduiſti, inanem operam me non ſumere, immò accommodum erit conſilium, quo advertas Tarantulas omnes, vel ùt generaliori illas inſigniam vocabulo, Phalangia omnia, quæ in tabulis delineata obſervas, naturalis magnitudinis nō eſſe, ſed eo modo delineata ſunt, ceù Microſcopium repręſentabat: valdè tamen minora: & forſan dimidiatæ magnitudinis Microſcopio repreſentatæ, omneſque Phalangiorum partes in illis tabulis delineatæ eamdem ſequuntur proportionem; Naturalis namquè Phalangiorum majorum magnitudo à figurâ XI. tabulæ 2. repręſentatur, quæ Phalangii ſpeciem illam demonſtrat, quævulgò Tarantula Appula à Scriptoribus, neſcio quo errore ductis, appellatur: quæ cavernulas ſubterraneas ſibi parat, ut proprio loco diximus; Iſtam tamèn Tarantulam ratione venenati ſui morsûs cæteris Phalangiis majoribus minùs venenoſam non experimur: nec effectus, qui ſuum ſequuntur morſum alio modo, aut aliis curari cernimus argumentis: nàm quamvis aliquandò nonnulla adhibeantur interna, & externa præſidia, tàm pro

Taran-

Tarantulæ Appulæ vulgò dictæ morſu, tàm pro morſu cæterorum Phalangiorum, cæteris fruſtratis periculis, ad ſacram anchoram, Muſicam ſcilicet confugiendum. Quaderè quùm non minùs pernicioſum ſit cæterorum Phalangiorum turbæ venenum, quàm ipſius Tarantulæ Appulæ vulgò à Scriptoribus dictæ: & quùm ratione Patriæ Appula quoque ſint cætera Phalangia mordacia, quæ Apuliam quoque habitant: Et quùm ab univerſis Apuliæ Habitatoribus omnia Phalangia nullo alio appellentur vocabulo, niſi generali Tarantulæ appellatione, nos de Phalangio Appulo vulgò dicto differentes, de omnibus Phalangiis Appulis mordacibus differere advertimus, tàm ratione appellationis: tàm ratione Patriæ: tàm ratione externæ, & internæ eorum ſtructuræ in omnibus ferè ſimilis, tàm ratione tempeſtatis, in quâ mordere ſolent: tàm ratione morsûs, quem non niſi irritata infligunt: tàm ratione effectuum à venenato morſu productorum, qui ferè ſimiles producuntur; tàm ratione curationis, quæ inſtrumentorum muſicorum concentibus expeditur: tàm ratione cujuſcumque fruſtrà tentati præſidii; Atque hinc Phalangiorum venenum pro ipſis Phalangiis decus ne ſit, an ignominia, nec ſoli Tarantulæ Appulæ vulgò dictæ, ſi ignominia, in probro debet eſſe: nec ſi decus eſt, debet ſola Tarãtula Appula vulgò

gò dicta cum tantâ suâ laude conjunctum illud habere.

Advertere itidem convenit Phalangia omnia, ad Tarantulæ anatomen compigendam à me dissecta, non unicæ tantùm speciei fuisse, sed mox è Phalangiis argenteis majoribus, mox è Phalangiis, quæ Tarantulæ Appulæ vulgò appellantur, nunc à majusculis Phalangiis nigro, rubro, luteoque variegatis colore deprompsi; in omnibus tamen internã partium structurã eamdẽ prorsùs esse animadverti.

Advertas demùm me nonnullas in Tarantulâ partes detegisse ab aliis super hujus insecti historiâ Scriptoribus nõ inventas, aliasq; non benè, & concinnè descriptas. Particulæ namq; à me primùm inventæ, proprio loco, fusè satis describuntur: veneni scilicet receptaculum cum suâ fistulâ usque ad os protensâ, in thorace situm. Corpus pulmoniforme, quod ad respirationem nil prorsùs conducit. Genuina respirationis instrumenta, quorum situm, & structuram demonstro. Appendicũ mammiformium musculi, quorum situm, & insertionem ostendo. Inter materiæ staminosæ receptacula distinctionem quamdã arguo, ut proprio loco videri potest. Tarantulæ penis à Domino Bon descriptus, & à me pro aliâ Tarantulæ particulâ vero similiùs consideratus. Hæc tamen omnia fusiùs in locis propriis hujus Tractatûs legi poterunt.

FINIS.

DEL-

DELPHINIUM ARVENSE

Febribus recidivis intermittentibus extirpandis aptissimum Remedium.

TENTAMEN NICOLAI CAPUTI

ad Regiam Scientiarum Academiam Neapolitanam.

Reverendissimo Patri

D. ALEXANDRO PHILIPPELLI,

Conventûs Lyciensis SS. Cataldi, & Nicolai PP. Olivetanorum Abati dicatum.

TUa Naturalis ferè in Rem Medicam propensio, cæteras inter disciplinas ex Dei beneficio nobis collatas, cùm delectationis, cùm emolumenti, principem jurè sibi locum adeptam in causâ est, ùt ego summâ Te præditum doctrinâ, singularique simul animi rectitudine ornatum esse certò certius judicem: & hæc magis ex eo palàm fiunt, quod pro humano genere pius, in remedia sedulò inquiris, ac ejusmodi Facultati ex animo patrocinaris; Quamobrem exiguum hoc sanè munus, perenne verò mei in Te studij monimentum lætus cape: Experimentum inquam, à me præviis innumeris observationibus ad Methodum constitutum de *Arvensi Delphinio*, maximæ utilitatis in Febres recidivas intermittentes Remedio. De quo ad R. S. Academiam Neapolitanam, in quà sum coaptatus Anno 1733. retuli. Fiduciam Animo fas est concipere, gratum hoc tibi fore. Id nēpè Doctorum hominum esse ingenium Deus testa-

tur: *Altissimus de Cœlo creavit Medicinam, & vir Sapiens non abhorrebit eam.*

Sed antequàm ad propositum deveniam argumentum, ùt consueto meo obtemperem mori, hæc animo revolvere mecum semper statui: Omnia scilicet, quæ proponuntur promiscuâ fide dignari, ab Hominis dignitate alienum esse. Contrà verò vel experimenta naso suspendere, & pravi, & suarum cogitationum plùs æquo studiosi animi est argumentum. Usu venit nō raró quæ à mulierculis, hominibusque illiteratis narrantur ad cachinnum usque traduci à nonnullis. Horum sermo verò eo evadit, ut scilicet dictitent, Veritatem à sui cognitione ingenia adeò humilia, & Oppidana procul amovere. Non enim *Cuivis notæ sunt Ædes, Philosophia quas incolit*, ut ajunt. Vera hæc quidem; Quùm tamen de experimentis agitur, quēpiam, etsi ex triviis homuncionem, mendacii nefas est insimulare. Sed à narratione ad periculum: dummodò si quid fortè fortuna utile detegatur, palàm fiat.

Non multis ergò ab hinc annis Idiotam audii, perspectam sibi esse herbam gloriantem febribus quibusque indiscriminatim fugandis aptam, arcanum ipsi à Peregrino Viro commissum. Tantæque rei participem fieri me valdè expetentem, lubentèr compotem voti fecit. Herba Delphinium erat, agris nostris admodùm familiare: Variisque insignitur nominibus: Est etenim Consolida Regalis arvensis C. B. P. 142.

Con-

Consolida regalis Jo: B. tom. 3. Consolida regalis Matth: in Dioscoridis comment. lib. 3. Cap. 64. ubi suum candidè fatetur errorem ; nàm olim pro cumino sylvestri secundæ speciei hanc plantam tenebat : & est Rittersporn Germanorum , seu Equitis calcar , à figurâ calcaris antiquorum . Consolida Regalis , Equitis calcar , & Delphinium nonnullorum ex doctissimo Anguillara , qui tamen Delphinii vocabulum ex quorumdam super Dioscoridis Delphinio falsâ interpetratione Consolidæ Regali non convenire asserit , ùt apud ipsum Consilio 12. in vocabulo , *Consolida Regale* , & sub vocabulo Delphinii in eodem Consilio Delphinium sibi ignotum fatetur . Sed ne tanta appellationum varietas confusionem potiùs pariat , quã clariùs certiùsque herbæ hujus patefaciat characteres , idèo nos cætera circâ varias hujus herbæ nomenclaturas , Authorumque controversias facili præterire pede decrevimus : Herbamque cum Tournefortio , & aliis Delphinium arvense , seu Segetum appellabimus : Germinat Martio ; florescit Junio ineunte , floribusque gaudet ad Octobris usque primordia ; Atque ubi locorum , aut muros habeat circùm , aùt Spinetis fortè sępiatur , diviti florum suppellectile cõstat ornatum , hyemem glacialem , Cœlique injurias eludens . Quid verò tantùm verborum ? nulli herba hæc latet . Tournefortius ad Classem XI. Florum polypetalorum anomalorum reducit hanc herbam , quæ sub Sectione II. tertium genus consti-

tuit. Delphinium igitur herba est flore polypetalo anomalo, cujus floris petalum superius in Caudam desinens, aliud petalum bifidum & caudatum excipit: Pistillum abit in fructum, in quo veluti in capitulum colliguntur vaginę, semina nigra vel angulosa in sativo, vel umbilicata in arvensi continentes, ùt ego observavi, in quo millii grana magnitudine non excedunt, ùt Dioscorides de Delphinio adhuc adnotat: Illud tamen mea ad se non alliicit suffragia, â foliorum scilicet figurâ Delphini Piscis æmulâ Dioscoridem Delphinii appellationem deduxisse, nàm hanc herbam describens ait folia parva, tenuja, incisa, & longa habere: Sed quid hoc cum Delphinis? Potiùs ex Ammanuentium librariorum negligentiâ, Textûs credenda est depravatio: Ex eo quiâ arvensi Delphinio nostro Delphinii Dioscoridis descriptio tàm appositè, & concinnè convenit, ùt accommodatior exoptari nequeat, si verborum situm aliquantulùm mutari concedamus. Si itaque post foliorum descriptionem, illam florum immediatè succedere curabis, cui postmodùm suæ æthymologiæ adnectes originem, jàm factum, & absolutum. Sic igitur Dioscoridis textum restituerem. Quûm legimus (libr. 3. Cap. 70. lat. edit.) *Delphinium surculos emittit ..... à quibus folia exeunt parva, tenuja, divisa, prælonga, quę Delphinorum effigiem repræsentant, unde tractum nomen est. Flos violę albæ non dissimilis, purpureus &c.* Sic Dioscoridis textum restituere debemus.

Id est;

Ideſt : Delphinium ſurculos emittit à radice unâ Seſquipedales , aut majores , à quibus folia exeunt parva , tenuja , diviſa , prælonga : Flos violæ albæ non diſſimilis , purpureus , qui Delphinorum effigiem repræſentat , undè tractum nomen eſt : & ſemen in ſiliquis millio proximum , quo non aliud , &c. . . . . . . Provenit in aſperis , & apricis . Et omnes hi characteres adamuſſim noſtro correſpondent Delphinio , tàm ob Caulium germinandi conſuetudinem , tàm ob foliorum ſigna , tàm ſeminum millio ſimilium ratione , quæ rotundiuſcula apparent , ejuſdemque ferè magnitudinis , licet nigri coloris , & in Capſulis ſiliquoſis aſſervantur : Flores Delphini æmulantur effigiem , ceù à Pictoribus paſſim effingitur . Quaderè certò aſſerere non verebor , noſtrum Delphinium arvenſe , de quo nunc diſſerimus , genuinum Dioſcoridis Delphinium eſſe : Varias Delphinii hortenſis ſpecies florum Cultoribus conſiderandas concedam , quoniàm quùm nullum de iis factum ſit mihi experimentum , ad præſentem non ſpectant Sermonem . Sed mox ad rem .

Rei novitate allectus ; ad faciendum ſuper illo periculum ſtatim operam contuli ; Sonuit herclè , fateor , quiddam meis auribus peregrinum , ignotumque , & lectione nō comparatum. Quâ de cauſâ illius non exiguâ illicò factâ copiâ , in tenuiſſimũ pulverem , herbã ad ariditatem paratam , redigendam curavi , virtutem tentans ad drachmæ pondus : hæc eſt quippe ejus doſis peculiaris Sed Ægroti ætas , Corporiſque conditio ,

ditio, aliaque sunt inspicienda. Tentavi primùm in Juvene, annos quinque suprà viginti nato, Corporis habitûs carnosi, fibrâ tamen valdè sensibili dotati: Tertianâ laborabat ille intermittente: Drachmam pulveris ad primam octavi diei lucem, quùm à febre liber erat, ex aquâ communi ei propinandam jussi: Febris preter expectationem eâdem octavâ die rapidissima rediens, spem animo Conceptam fefellit, & cum nonâ sese implicuit accessione: & præterquam quod nihil boni contulerit, ardentis, ac inflammatoriæ moribus induta, cum linguæ ariditate, hypochondriorum tensione, agrypniâ, & exurente totius corporis calore, videbatur ægrotum in anceps, ac lubricum deduxisse, brevi jàm conclamandum: Nec sudor à novo exhibito apparuit remedio, nec urina consuetâ copiosior, non vomitus, non alvi perturbatio. Sed Ægroto in pejus ruente, vehementer dolebam: Per alia nihilominùs ad ejus opem itum benè remedia.

Iteratum est tentamen alio in Juvene carnosi habitûs ex tertianâ simplici decumbenti: Cui sexto die, tranquillo scilicet, pulvere exhibito, febris non expectata non rediit sexto: & præter calorem consueto paullò intensiorem, nil contulit ulteriùs, nisi ægritudinem illam naturam suam, & mores non immutavisse, nec æger in pejus ruit: Ast ipsi ampliùs Delphinium non exhibui: Aliis tamen adfui præsidiis, quùm tandem febris evanuit.

Nè

Nè itaquè ſermo longiùs quàm par eſt protrahatur, experimentis ſæpenumerò factis, & pedetentim in variis febribus, febriumque temporibus adhibitis, tutiori excerptâ Methodo, ſat manifeſtò mihi conſtat, nil Delphinium poſſe in Tertianas, & Quartanas, quæ incipientes dicuntur; Maximo verùm emolumento eſt adversùm earumdem febrium recidivas.

Amariſſima Planta Delphinium: Quos verùm parit effectus, eſt calor plùs nimio æſtuoſus, quod conſtanti periculo à me ſemper obſervatũ: Atque indè oritur, quod febres recidivas expellat, quas præcedit ſemper glutinoſorum ſuccorum copia, non ſolùm in primis viis, viſceribus naturalibus, & meſenterii glandulis adhærentium, ſed iſtis ſuccis analogæ ſubſtantiæ ſanguinis univerſi maſſam uſque ingreſſæ, illam coinquinant: & hinc ſolidæ corporis partes à glutinoſis oppreſſæ particulis, liberiores edere nequeunt oſcillationes; ac proindè Delphinium amaris ſuis elementis in ſolidas corporis partes agẽs accidentali laborantes atoniâ, illis priſtinum reſtituit robur, & tonum: Viribus itaquè ſolidorum conciliatis, fluidi univerſi motum, ob validiores ſolidorum percuſſiones augeri, promptiorem, & expeditiorem reddi manifeſtò conſtat: quibus omnibus calorem plùs juſto æſtuoſum adnecti quis non arguet? atque indè viſcido ſoluto, liquoribuſque ad opus abſolutum paratis, inſenſibilis tranſpiratio copioſior, citatiorque promovebitur: impuriſque eo argumento

excre-

excretis succis, aliisque in aptiorem mutatis naturam, Pulveris percipitur emolumentum: Fibris namquè robore, liquidisque debitę fluiditati restituris, æger sanus esto. Hæc omnia operatur Delphinium.

Quibus de Caussis alacri mihi multiplex pręstò fuit occasio ad longè plura eâdem de re experimenta. Anno fermè 1729: quum scilicet per omnes hujus Regni Provincias Tertianæ, & Quartanæ febres ingentibus calamitatum copiis stipatæ debacchabantur, pluribusque recidivis suam obfirmatè ostendebant pervicaciam, id genus pulvis adeò mirifica, & si le majora gessit, ut ex ægrotis neminem spe vanâ lactaret. Ter millia drachmarum ægenis plerumque distribui, citrà pretii, & lucri studium, quibus vigili curâ pro Delphinii virtute inspiciendâ individuus ferè comes hærebam: Effectus pulveris sibi semper similes: neque sudor, neque aliud quidpiam indè oriebatur: Sed calore tantùm præternaturali unâ, vel duabus à propinato pulvere horis, ægrotos afficiebat.

Ex multis, quos pro ægris ferebam, laboribus in Tertianam simplicem offendi, quæ libenter Quinquinæ operâ evanescebat: sæpè verò paucis post diebus redibat, quam ad Menses quatuor prolatam peruvianus Cortex ad Tripondium propè consumptus fugare non valuit. Mirabitur fortasse Quispiam vereri mihi Delphinium, quod præclarè aliis consulebam: atqui demùm salutis cupiditate ad id me contuli; tri-

bufque

busque accepi vicibus : primùm nempè diei à febre otiosi diluculo , iterumque vesperi , atque iterùm ad posteri diei lucem , quùm febris verebar adventum ; atque eo me affecit ardore , ùt flammâ correptus viderer . Quapropter ad tertiam Delphinii aggressionem febris aufugit invita ; atque ego malo emancipatus , sensim benè habui .

Breviter demùm Methodum Delphinii pulverem propinandi expediam . Febres in quibus pulveris usus convenit Tertianarum , aut Quartanarum Recidivæ sunto . Dosis ad summum drachmæ pondus esto . Ex aquâ , aut vino potandum propinato . Integris , seu Apyrexiæ diebus bis in bihorii spatio dato : tertiamque drachmam quatuor , aut quinq; antè accessionem horis sequēti die bibendam jubeto . Fugatâ febre per octo dies quolibet diluculo in lecto cubante ægroto pulverem ad semidrachmæ quoque pondus consulito : & saltem per quatuor ab exhibito pulvere horas in lecto illum quiescere suadeto , ne insensibilis transpiratio, ex præcipuis pulveris effectibus , impediatur .

Quâvis Anni tempestate herba hæc legatur , eâdem vi pollere sat mihi constat . Confidoque, Medicam Rem profitentes , ni tamen dedignentur , id genus remedio in Recidivas febres , æquè ac mihi ex animi sententiâ perpetuò cessit , fæliciter in ægrotorum solatium semper usuros .

FINIS.

TOTIUS OPERIS

CONSPECTUS.

PRæfatio ad Lectorem. pag. 1.
Cap. 1. de Tarantulâ, ejuſque ſpeciebus. pag. 17.
§ Unicus. Phalangiorum ſpecies omnes in Apuliâ, & in Hydruntinâ Provinciâ cognitorum numerantur. pag. 25.
Cap. II. de Tarantulæ Anatome. pag. 30.
Cap. III. Tarantulæ Caput, & oculi examinantur. pag. 35.
Cap. IV. Tarantulæ forcipes, & os. pag. 37.
Cap. V. de Tarantulæ pedibus, & Antennis. pag. 54.
Cap. VI. de Tarantulæ Thorace, Parenchymate pulmoniformi, & capſulâ ſalivali. pag. 57.
Cap. VII. de Phalangiorum Appendicibus Mammiformibus, ubi de Ano. pag 62.
Cap. VIII. de Staminoſi Glutinis Receptaculis. pag. 69.
Cap. IX. de Appendicum Mammiformium Muſculis. pag. 71.
Cap. X. de Tarantulæ Genitalibus. pag. 72.
Cap. XI. de Tarantularum Inſtrumentis Reſpirationi dicatis. pag. 77.
Cap. XII. de Tarantulæ Staminibus. pag. 80.
Cap. XIII. de Tarantulæ veneno, & morſu: & obitèr de veneni officinâ. pag. 95.

Cap. XIV.


Cap XIV. Tarantiacorum Historiæ. pag. 111.
Cap. XV. de Tarantulini veneni Naturâ: & quomodò inflicto à Tarantulâ vulnusculo, corpus afficiat. pag. 142.
Cap XVI. de periodicâ, annuâ Tarantismi Recrudescentiâ. pag. 159.
Cap. XVII. de Vi Musicæ in Tarantismo. pag. 166.
Cap. XVIII. de Tarantatorum curatione, variisque eorum Inclinationibus. p. 197.
Cap XIX. de Miraculosâ Tarantatorum curatione. pag. 220.
Tabularum explicatio. pag. 232.
Delphinium arvense. pag. 241.




Qui


Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.
Proverb. Cap. XIII. V. 24.


ERRATA	CORRIGE
Pag. 26 lin. 6. expandunt	expanduntur
pag. 29 l. 18. pavorumque	parvorumque
pag. 96 l. 29. perfectissimos	per lætissimos
pag. 135 l. 2. 3. Patriam meam	Patriâ meâ
pag. 149 l. 9. æquilibrium	proportio
pag. 17 l. 23. cussiones	percussiones
pag. 212 l. 11. cognitum	cognitus



Fig. II.
Fig. VII.
g g
c c
D D
C
A
q
f
B
R
h
H
m m
n n
F
D
i
k
M
o o
A
X
E
l
m
n o
K
F
Nap.


Tabula I.


















Fran. Sesone Sculp. Nap.


Fig. II.


Fig. I.




Francesco Sesone Sculp Napoli

Tabula II.





























Francesco Sesone Sculp Napoli